


IVSTI
ZINZERLINGI
THVRINGI


CRITICORVM IVVENILIVM


PROMVLSIS:

Quâ in

COMPLVRIA CICERONIS, Taciti, Ouidi, Senecæ vtriusque, Papini, Val. Flacci, Claudiani, aliorum, loca notantur, emendantur, illustrantur.

SVBIVNCTAE SVNT IN CALce libelli, eiusdem DIATRIBAE DVAE: *I. Nobile quoddam problema Prosodiacum excutiens. II. Tria insignia Metaphoræ reciproca exempla exhibens.*






LVGDVNI,

Anno Domini cIↄ. Iↄcx.

CVM PRIVILEGIO.






NOBILISS. ET
GENEROSIS
IVVENIBVS:

IOH. GEORGIO,
ET
CHR. CAROLO
A
BRANDENSTEIN:

MAGNIF. NOBILISS. ET STRENVI VIRI, DN. ESAIAE à Brandenstein/ in Oppurg/ Grunâ/ Krowitz/ & Knaw/ Sereniss. Elect. SAXON. Consiliarij intimi, & Iudicii supremi Electoratus LIPSIAE præsidis ettanentissimi, FILIIS: S.

EX quo Geneuâ vobis discessum, Nob. & Generosi iuuenes, persæpe mecum cogitaui: si non temerè contigisset: quòd & in

euntes vos in GALLIAM ante biennium SPIRAE, & nuper redeuntes in GERMANIAM GENEVAE, incuriosus vtroque tempore vestri, planè solâ forte incidi. Eripi sanè hoc mihi non patior, spondere hoc omen, nunquam fore, vti ille vester, quem non semel testati estis, amor mei elangueat aut moriatur: Quippe cui fouendo, si consultò facta cessent, ipse etiam seruiat Casus. Non committẽdum inde mihi putaui, vt Forti tam beniuolæ data à me eam in rem opera desiat: sed elaborandum potius, vti pu[illegible] nunquam [illegible] erga vos adfectus ponam. Et, verũ dicam, omne tempus, etiam cùm crastinum diem cogitaui, serum visum fuit, quo desiderio meo satisfiat, & ego vos publicè alloquar. Quin animo mihi sedit, cum maximè vos euntes scriptione aliqua in

patriam sequi. Fecit ea festinatio, vt non dignum quid vestro nomine selegerim: hoc nempe primum CRITICORVM meorum, quæ jam olim mihi exciderant, γεῦμα. Erant alia penes me, minus indigna, ad ius CIVILE spectantia. Ea vobis ius egregiè doctis, & in quo adolescentes admodùm, præclara èdidistis specimina, destinabam: Sed desiderium meum moram illam non ferebat, quam poscebant illa qualia qualia mea. Indulgete igitur, oro, his chartis nomen vestrum, & feneramini illis à vestro splendore aliquid luminis: meque vestrum, quod facere vos scio, amate: Qui vos, & neminem non ex familiâ vestrâ, religiosè deuotèque colo, inque omnibus vel maximè illum vestrum parentem, patriæ nostræ lumen, & (in quo non adulor) virum incomparabilem. Cuius

beniuolentiæ vestrâ filiorum commendatione adrepere laborarẽ: nisi scirem & illum, absque eâ sit, bene mihi meisque studijs velle, & vos id, me etiam tacente, abundè facere. Valete juuenes Nobiliss. cum fratribus vestri æmulis, i. e. verè generosis, ipsorumque & vestro Ephoris, meis amicissimis. Dabam Lugduni, CAL. APRIL. CIƆ. IƆCX.

IVSTVS ZINZERLING.



Ornatissimo Iuueni

IVSTO ZINZERLINGO
suo S.

IVSTI tuosnè igitur vis me censere labores,
Enixa est dudum quos tibi docta crisis?
Iudicii bonitas, sermonis gratia tersi,
Et variis dextrè facta medela libris.
Hîc quem non capient, capiet nihil ille venusti,
Præstringente animum aut cæcutit inuidiâ
Ne cunctêre sed hæc lucis proferre sub oras,
Quæ meliùs lucem, quàm latuêre, vidêt.

Altorfi, An. 1606. Mense April.

CONRADVS RITTERSHVSIVS, IC.



EIDEM.

IVSTE Melissea reuirescens gloria lauri,
Dimidiumque animae Zinzerelinge, meae:
Quod tandem, Charisin, Musisque, & Apolline
Desinis ingenio vela negare tuo, [latiis
Miscellasque operas Critico fers ipse senatui
Censendas, acris germina judicij,
Iudicio expendi cupiens tam docta reperta,
Queis multis multâ parte sui est melius,
Qui M. dicam mirantur opem, virtute tuâque
Audent pressa solo tollere nunc capita.
Vt tibi ego ex animo mentem illam gratulor, vt te
Ob factum hoc nimio nunc magis ore fero.
Ore fero atque oculis, atque hoc in pectore flãma
Igne ignita nouo, vides quam vigeat.
Haud aliter nostrum nuper geminauit amorem
Succenditque noua cordis aperta face
Sitzmanus *noster, cuius virtute Boethius*
Exseruit nitidum celsa sub astra caput,
Osoresque suos didicit contemnere, at illi
Aeternum secum conciliare decus.
Quàm cuperem vobis meritarũ Encomia laudũ
Soluere, ac his ausis plaudere voce, manu.
Sed me paupertas risum debere legenti
Non patitur, tenuisque ingenii ariditas.
Nec vos sollicitat nostra clarescere laude
Mauultis vestris noscier ex meritis.

DI date vtrique viros iustis pensare peritos
Res pretijs, æquâ & ponere lance catos.
Fallor an hos nostri consensu congrege cœli
Clamabunt florem ter nitidumque decus.
Nec spoliata vltra veteri Germania honore,
Vt multis visum est, lumina deijciet.
Quin eā nunc alijs sese committier oris
Postulet, & famam hinc non aliunde velit.
Optima cum pulchris animis Germana iuuentus
Nitere, & exemplis acrior esto tuis:
Aude etiam: nam sæpe potest, qui posse videtur,
Audentem Virtus, hanc Honor insequitur.

Altorfio ipso die viridium, An. 1607.
Tuus omni officio & fide germanâ,
Michaël Piccartus Fr. Professor
Noricus.

IN





IN

I. ZINZERLINGI MISCELLA CRITICA

HEXASTICHON.

ESSE super quædam ingeniis fas credere: postquam
Restituit Criticus tot monimenta labor?
En super illud erat, quo nunc vtêre, per orbem
Humanas arteis quisquis amare soles.
Id ZINZERLINGI veterum in dicata sophorum
Debuit esse γειτῶ nobilioris opus.

MELCHIOR HAIMINSFELDIVS GOLDASTVS.

DE



DE IISDEM
AD EVMDEM.

IVSTE mihi dudum iam fratris ad instar
amate,
Aut si quid maius dicere fratre queam:
Vidi, perlegi, quæ me MISCELLA volebas
Censere adstrictis antè superciliis.
Si quid de affectu potuit mihi demere, id vnum
est,
Vt dicam quod res dicere vera iubet:
Te iuuenem scripsisse, senem quod scribere fas sit,
Et tua scripta annos anticipare suos.

CASPAR FACIVS.



LIBELLVM hunc, inſcriptum IVSTI ZINZERLINGI *Criticorum Iuuenilium Promulſis*, &c. edi permittimus: ſimul, ne quis citra factam ei ab auctore poteſtatem, denuò excudat, interdicimus. Datum LVGDVNI, XI. MaI. 1610.

SEVE.





IVSTI
ZINZERLINGI
THVRINGI

CRITICORVM IVVENILIVM PROMVLSIS.

CAPVT PRIMVM.

Ciceronis oratio pro Sylla tribus locis correcta. Patriæ parricidio obstrictus.



RINCIPEM Romanæ Eloquentiæ Tullium vt principe libelli huius promulsidaris loco collocé, ius & fas ordinis, nec in hac miscellorum far-

ragine penitùs negligendi, me iubet. Eius oratio pro Syllâ quàm contaminata sit etiamnum pluribus in locis, nunc mitto edisserere: facturus id in ipsorummet miscellorum meorum editione. Ecce nunc tria eius loca corruptissima. Primus sit, vbi de Allobrogum indicio in hæc verba loquitur:

Ab Allobrogibus nominatum Syllam esse dicis. Quis negat Syllæ indicium? At vide quemadmodum nominatus sit. Lucium Cassium dixerunt commemorâsse, cum ceteris Antronium secum facere. Quærò num Syllam dixerit Cassius. Nunquam sese aiunt quæsisse de Cassio, quid Sylla sentiret. Videte diligentiam Gallorum, qui vitam hominum naturamque non nossent, ac tantum audissent, eos pari calamitate, qui fuerant, esse in eâdem voluntate. Quid tum? Cassius si respondisset idem sentire, & secum facere Syllam, tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. Quid ita? Quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat minuere illorum

illorum suspicionem, & purgare eos, de quibus illi aliquid suspicarentur.
Dudum vapulârunt Criticis duo vocabula: *Syllæ indicium*: vt iisdem etiam sint, tamquam spuria forent, exire iussa. Mitiùs agit antiquissimus codex Thuringicus, Gulielmo toties laudatus, qui retinet posterius, & prius tantùm mutat: *Quis negat? Sed lege indicium, & vide, &c.* Atque ita, res est planissima. Iubet Cicero Torquatum adire & euoluere tabb. publicas, in quas, vti pòst paullò sequitur, indicium Allobrogum erat relatum. Id verò est falsissimum, quod sequitur, nunquam quæsiuisse ex Cassio, an inter coniurationis populares sit quoque P. Sylla. Retūdit enim hoc paullò pòst ipse Cicero, quando ait absurdum fuisse, cum sponte reliquos nominârit Cassius, de Sylla, vtpote non è plebe homine, si & hic è complicibus fuisset, vsque dum rogaretur, silere: mirum etiam, Gallis, cum de Antronio, qui in eâdem cum Syllâ calamitate versaretur, audissent, in mentem venire potuisse vt quære-

rent adhuc de Sylla: à Cassio, Syllam eiusdem sceleris satellitem, Antronio nominato, obliuione fuisse præteritum. Benè igitur distinxeris, & emendâris totum hunc locum ex membranis:

Nusquam, sese aiunt quæsisse de Cassio, quid Sylla sentiret. Videte diligentiam Gallorum: qui vitam naturamque hominum non nossent, ac tantùm audissent eos pari calamitate esse, quæsiuerunt essentnè eâdem voluntate. Quid tum Cassius? Si respondisset idem sentire, &c.

Vltima quoque verba nonnihil abeunt in MS.

de quibus illi aliquid suspicari viderentur;

quod malim præ altero. Fauet mihi Sallust. qui ait multos vltrò ab Vmbreno Gallis nominatos fuisse socios coniurationis, planè innoxios. Quid mirum igitur dici à Cicerone, non debuisse à Cassio purgari eos, de quibus vel leuiter suspicari Allobroges viderentur?

Alter locus esto hic:

Neque

Neque enim istorum facinorum tantorum, tam atrocium, crimen, Iudices, P. Sylla personæ suscipit: Iam enim faciam criminibus omnibus ferè dissolutis, contrà atque in ceteris caussis fieri solet, vt nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim de principio studuit animus occurrere magnitudini criminis, satisfacere expectationi hominũ, de me aliquid, & de ipso, qui accusatus est, dicere, nunc iam reuocandi estis eò, quò vos ipsa caussa, etiam tacente me, cogit, animis.

Oportet Ciceronem hîc valdè madidâ fuisse memoriâ, qui ait, à principio sibi & de se, & de Syllâ dictum, cùm vix lineâ interiectâ antea dixerit, sese à consuetudine iudiciorum abîsse in hoc, quod crimina antè diluerit, quàm de persona rei quidquam diceret, id quod iam demum sit facturus. Lege igitur ex fide libri: *de me aliquid ipso, qui accusatus eram, dicere.*

Mouit indubiè emendatorem huius loci, quòd Cicero, qui vnà cum

Hortẽſio patronus erat P. Syllæ, non debebat ſe metipſum accuſatum dicere, id quod de Syllâ conuenientiùs extuliſſet. Sed oportuerat hominem redire ad ſuperiora, vbi ipſemet Cic. ſe quoque fidemque ſuam accuſatam ſignatis verbis narrat, ibi: *Excluſus hac criminatione Torquatus, rurſus in me irruit, me accuſat: ait me aliter, ac dictum ſit, in tabulas publicas retuliſſe.* Vide quàm locus locum explicet. In extremis etiam verbis vlcus quoddam latere, prodit diſſolutio periodi. Illud aperit & ſanat liber ſcriptus:

Nunc iam renocandi eſtis eò, quò vos ipſa cauſſa etiam tacente me cogit animos veſtros menteſq; conuertere.

Tertius locus, ordine contextus primus, hic eſto:

In hoc crimine non ſolùm leuitatis eſt culpa, verùm etiam quædam contagio ſceleris, ſi defendas eum, quem obſtrictum eſſe patriæ ſuſpicere.

Quæ verò illa atrocitas facti aut ſceleris, obſtrictum eſſe patriæ? Vnica vox aufugit & rectum loci ſenſum ſecum abſtulit. Reddo illam ex M S.

quem

quem obstrictum esse patriæ parricidio suspicêre.

Ita loquitur 3. offic. *Potest enim, Dî immortales! cuiquam esse vtile fœdissimum & teterrimum parricidium patriæ, quamuis eo qui se obstrinxerit, ab oppressis ciuibus parens nominetur.* Et 1. Philipp. *Qui nefario se patriæ parricidio obstrinxit.* Parco adscribere alia loca, vbi Cicero meminit parricidij patriæ, quorum est inuenire numerum.

CAPVT II.

Seneca in Thyeste emendatus.

Trepidantes foci.

ABSQVE membranis antiquis esset, nemo suspicetur de vllo mendo in his Senecæ versibus, Thyest. vers. 766.

impositas dapes
Transiluit ignis, inque crepitantes focos
Bis ter regestus, & pati iussus moram
Inuitus ardet.

Subesse verò vitium, illæ produnt:

quando ita in ijs ſcriptum inueni:

---inque trepidantes focos
Bis ter regeſtus; &c.

Verba ſunt nuncij, cùm miſerrimam lanienam filiorum Thyeſtæ, & apparatum conuiuij feralis enarrat. Facit in hoc ſermone ſuo omnia, inanima etiam, facinus hoc horrere, trepidare, triſtari, & deflere: vt focos etiam trepidâſſe ſcriptum à Seneca, dubitare ampliùs non debeamus. Sic Manto, cùm exta inſpicit, loquitur, in Oedip. verſ. 383.

Immugit aris ignis, & trepidant foci.

Qui locus huic planè eſt geminus: vt & ille PrudentI, lib. Periſteph. hymn. 6. de Fructuoſo, Augurio, & Eulogio Martyribus:

Hæc inter rapidis focos crepantes
Intrant passibus, & minantur ipſis
Flammarum trepidantibus caminis.

Simili modo infrà, verſ. 987. cùm Thyeſtes manu tenet poclum filiorum ſanguine repletum, inter alia hæc dicit:

Et ipſa trepido menſa ſubſilijt ſolo.

Et in Hippolyto: cùm de tauro

mon

monſtroſo verba facit nuncius, verſ. 1060.

Et torua currus ante trepidantes ſtetit.

Silius lib. I. v. 129.

---trepidantia fumant [axe
Mœnia, & Heſperio tellus porrecta ſub
Sidonijs lucet flammis.

Idem libr. 10. verſ. 264. Cùm Iupiter mœnibus Romæ adſtare fingitur:

Ac gelidis Anio trepidabat cærulus
vndis.

Et en! Quomodo crepitantes foci dici poſſunt, in quibus nullus adhuc accenſus ignis, ſed iam demum ingeritur?

CAPVT III.

Deſperato Taciti loco medicina facta. Emendatus Claudianus. Quî. Cernere. Dignus, cum caſu patrio.



PERÆ pretium facturum me ſpero, ſi non intactum reliquero celeberrimũ hũc

Taciti locum xv. Annal. cap. xiv.

Illum locum tempúsque consilio destinatum, quid de Armeniâ cernerent. Adiecisse Deos dignum Arsacidarum, simul & de legionibus Romanis statuerent.

Nil attinet conatus Rhenani, Ferreti, VertranI, AcidalI percensere. Choragus Criticorum ex sapientissimi Medicorum præcepto, desperato medicinam non impertit, adeoque inter nefastos hunc locum pronunciat, vt ne tria quidem verba de eo audeat. Hæc tanti Semonis diffidentia quem non è plebe absterreat? Imò quem non supra plebem euectum? Ast cum gnarum mihi sit, ægrotum, dum anima est ipsi, ἀνέλπιστον non faciendum diuerbio iactari: mosque Babyloniorum nondum sit atrâ notâ notatus, qui in publicum destituto ægro à minimo etiam prætereuntium consilium & opem non spreuerunt: quid vetat me in hac correctorum acie stare ἐπὶ πᾶσι? Fluctus in simpulo concitos, audacter fortassis dixero: sed ita est. turbarumque

que hîc nihil eſt, præter quòd litera abundat. Ad Pæti querelas: Aliena à Vologeſe adfectari, pacem vtrinque ex vſu, Romanorum vim in longum eſſe, nihil reſpondet Vologeſes, & aliò ablegat, rem eſſe deliberationis iactans non ſecum modò, ſed & cum fratribus. Ceterùm hoc repoſuit, inſultabundus, vt paret. Non tantùm quò omnia conſilia ipſorum collimârint, ſibi iam in manum veniſſe: vt ſcilicet tali Marte tandem de ſummâ Armeniæ cernere liceat: Sed præter ipſorum conſulta, hoc à Dîs vltrò adiectum huic expetito muneri quaſi corollarium, Arſacidarũ nomine dignum, vt in manu ipſorũ ſit ſtatuere de Romanis legionibus: quippe quarum ſalus in acie nouaculæ imprudentiâ Pæti conſtituta videbatur. Auſim igitur ſponſionem facere in non exiguum pretij, ita rectè locum habere:

Illum locum tempuſque conſilio deſtinatum, qui de Armeniâ cernerent: adjeciſſe DEOS dignum Arſacidarum: ſimul de legionibus Romanis

statuerent.

Suffragium leuissimæ huic emendatiunculæ habere videor ab Fuluio Vrsino, qui ita ad hunc locum notat: videtur ex v.c. ita legendus hic locus: *Quò de Armenia decernerent.* Sed cum hoc silentio transmittant Rhenanus & Pichena, diligenter in plutеariis Taciti libris versati, & præterea videri tantùm sibi dicat Vrsinus, certam non esse fidem huius lectionis paret. Id tamen coniicere est, turbâsse v.c. in *quid*, & *cernerent.* Suffragantur & illa quæ 1. Miscell. 7. noto: sæpe tractas esse literas ad finem dictionis, ex sequentis initio, & contrà: quòd in Tacito frequenter aliis quoque notatum. Pręstiti igitur huius loci sensum, emendationem, & emendationis rationem. Sed ne quem vllæ hîc pungant sentes, agè muniemus illum nõnihil. *Qui* pro *quò* siue *vt* positum. Ita, ni fallor, Plautus alicubi: *Hei quod mihi non est tegula, qui tibi diminuam caput.* Terent. in Prolog. Andr.

Nam in prologis scribundis operam abutitur,

Non

Non qui argumentum narret, ſed qui maleuoli
Veteris Poëtæ maledictis reſpondeat.

Idem alibi: *Quantò ſatius eſt te id dare operã, qui iſtum amorem ex animo amoueas tuo: quàm id loqui, quo magis libido fruſtra incendatur tua.* Niſi malis *Qui* hîc pro *Quo* ablatiuo à Quod accipere. Quomodo à probatis auctoribus vſurpari obſeruat Fr. Syluius, Prog. Orat. cent. 1. c. vlt. vbi hæc notat exempla: Pacuu. *Canis, quando eſt percuſſa lapide, non tam appetit illum, qui ſe icit, quàm illum eum ipſum lapidem, qui ipſa icta eſt, petit.* Plaut. *Pateram, qui ille potare ſolitus eſt, in ciſtella pertuli.* Idem: *Ille olim habuit ignem, qui ſignum daret.* Terent. *Abs quiuis homine beneficium, cùm opus eſt, accipere gaudeas.* Ita etiam Plauti locus antè adductus capi poteſt. Atque hoc ego præ altero malo.

Cernere hîc *certare* eſt. Virgil. 12. Æn.

Inter ſe coiſſe viros, & cernere ferro.

Plaut. in arg. Amphitr.

Pro patria Amphitryo dum ternit cum hoſtibus.

Ennius

Ennius:

Seueriter fortuna ferri cernant de victoriâ.

Idem: *Olli cernentes magnis de rebus agebant.*

Accius: *Nisi esset quis, qui armis vellet secum cernere.*

Et nos ex v. c. restituimus hoc verbum Miscell. 5. cap. 13. Claudiano, in Eutrop. vers. 236.

- *& secum petulans amentia cernit.*

Vbi legebatur anteà, *amentia certat.*

Dignum Arsacidarum, rectè dictum æquè, ac si esset *dignum Arsacidis*: Obseruauit August. Saturnius Lazaroneus in Mercurio maiore libro 9. capit. 11. soléntque huius syntaxeôs exempla pueris tradi in rudimentis: vt mirer tantos viros ad ea offendisse. Ellipsis tandem coniunctionis Tacito non indigna, *statuerent*, pro, *vt statuerent*. Quamuis ἀπὸ κοινοῦ repetitum subaudiatur τὸ *qui*. Illud omnino non patior mihi eripi; *adiecisse* DEOS: Dîs enim Vologeses adscribit & infrà cap. 24. pag. 278. in literis ad Neronem. Hæc cumulaui, Lector, ne discal-

ceatum

ceatum in montes te missum. queri possis.

CAPVT IV.

Paullus *idem quod paruus.* *Correctus Ouidius.*


ARIETAS scripturæ mihi semper facit suspicionem, scriptum aliquid fuisse præter captum librariorum. Idque ita se habere indicibus membranis cùm alibi sæpiùs deprehendi, tum & in hoc 6. Metam. versu.

Restitit & paruo, fauens mihi, murmure dixit.

Notauit ad oram Bersmanus, quosdã libros habere *pauido.* Aliter membranæ Thuringicæ: *paullo.* Quod vocabulum, quia paullò remotius, absque dubio ignorantes librarij tolerare noluerunt. *Paullum* verò idem notat, quod paruum, paucum. Titinnius apud. Non. in Trulla.

Sapientiâ gubernator nauem torquet.

non

non valentiâ:

Cocus magnum ahenum, quando feruit, paullâ confutat truâ.

Cic.ad Brut. Epist. 1. *Itaque manè hoc paullulum exaraui.*

Iuuenalis Sat. XI.

---- inde vbi paullum
Nescio quid superest.

Lexicon vetus: ὀλίγος, *paullus, paucus.* Idem: ὀλίγιστος, *paullulus.* Alibi: βραχὺς, *paullus, paruus, breuis.* Terent. Andr. Act. 1. Scen. 4. *Dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur.* Idem Eunucho, Act. 1. Sc. 1. *Quid agas, nisi vt te redimas captum quàm queas Minimo: si nequeas paullulo, at quanti queas: Et ne te adflictes.* Phorm. Act. 5. Sc. 4. *Quàm scitum est eiusmodi parare animo cupiditates, Quas cùm res aduersæ sient, paullo mederi possis.* Adelph. Act. 5. Sc. 4. *Ita eos meo labore eductos maximo, hic fecit suos paullo sumtu.* Ibidem *paullulum agelli*, Scen. 8. & *aliquid paullulum*, Sc. 9. dixit. (vbi caue dicas esse aduerbium, quemadmodum nec sunt illa: *multum, plurimum, parum, minimum pecuniæ, &c.* Et

parum

arum dico nomen esse, licèt mascu-
no non vtamur: nisi quod Lexicon
etus in modò adducto loco & illud
xhibet.) Ceterùm orthographia
uius vocabuli, quòd per geminum
scribi debeat, ex Scauro, Gramma-
co antiquo, monuit Vinetus ad
or.lib.2.cap.6.

CAPVT V.

Seruius emendatus. Vietus.

E Oedipus quidem intelli-
gat Serui notam, vti est in
libris impressis, ad hunc
irgilI locum, 3. Æneid.pag. (iuxta
it.P.Danielis.) 264.

ENTVM VIMEN. Molle & flexuosum. vnde & qui incurui sunt per senectutem.

ihil verò planius est eo, quod in
S. visitur: *vnde & vietos dicimus cur-
; per senectutem.* Deriuat nimirum
tum à *vimine:* Vtrumque verò à
re, quod ligare notat, ortum. Aliter

Paullus

Paullus in Epit. Festi: *Vietus, languidus, sine vi, & naturalibus priuatus viribus.* Sed allusio hæc potiùs est, quàm etymologia. B. Augustinus in De princip. Dialect. *Via dicitur à flexu; quia flexum velut incuruū vietum veteres dixerunt: vnde vitos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.* Laudat & emendat Casaub. ad Pers. Sat. 5. Vtitur hoc vocabulo Terent. in Eunuch. *Hic est vietus, vetus, veternosus senex.* Cic. de senect. *Sed tamen necesse fuit esse aliquod extremum tanquam in arborum baccis, terræque frugibus, maturitate tempestiua quasi vietum & caducum.* Idem lib. 2. diuinat. *Possum suspicari, contractum aliquo morbo bouis exile & exiguum, & vietum cor fuisse.* Plaut. in Mercat. *Acheruntius senex, vietus, decrepitus:* vt viri docti legendum censent. *Martianus Capella, 7.* de nupt. Mercur. & Philol. *Vt Euan consecutus ponè vietus atque adclinis stabat, seu marcore confectus ætatis, &c.* Prudent. in Psychomach.

Et iam vieta Sara in aluo fertilis
Munus iuuentæ mater exsanguis stupet.

Idem

.em 2.adu.Symm.

---- excitat ipsam
Crinibus albentem niueis, & fronte uietâ.

dem eodem libro:

Præcipitet Scythicâ iuuenis pietate vietum
Votiuo de ponte senem.

Vide eumdem lib. Cathem. hymn.7. v.57.Agell.13.noct.2.iungit, *vieta & mollia*.Glossarium vetus: *Vietum*, μεμαρασμένον. Quod posterius iterum explicat vet.lexicon : μεμαρασμένον, *marcidum.* Adi & Lambin. ad Cic. 4. ad Att.Epist.15.

CAPVT VI.

Claudianus correctus. Vitia in mores euntia.



LENOCINIVM Eutropîiã vieti pulcerrimè & exquisitissimis verbis depingit nobis Claudianus, 1.in Eutrop. comparatque eum Laidi decrepitæ iam

iam & edentulæ,& quæ,cum ipſa per ætatem ſe procis ſubſternere non poſſit, alias tamen ſufficiat.In illa deſcriptione mendum hęret,quod nunc tollo.

Verſ.95.

Stat tamen atque alias ſuccingit lena miniſtras,
Dilectumque diu, quamuis longæua, lupanar
Circuit, & retinet mores, quos perdidit ætas.

At qua ratione retinet mores ſuos, ſi iam ætate illos perdidit? Mihi, qui ob ætatem mores priſtinos abiecit, nihil aliud feciſſe videtur, quã, quod aiunt, mutaſſe pilum. Benè medentur huic næuo membranæ, in quîs ſcriptum: *& retinent mores; quod perdidit ætas.* Celebrabat nimirum lupanar lenocinatrix, quia à virgine fornici aſſueuerat,cui effœta iam ipſa nõ erat idonea. Atque ita vitia in mores ierant.Ita Seneca Epiſt.39. in fin. *Tunc autem conſummata eſt infelicitás, vbi turpia non ſolùm delectãt,ſed etiam placent,& deſinit eſſe remedio locus,vbi,quæ*

fue

fuerant vitia, mores sunt. Idem Episto. 46. in fin. *O te hominem felicem, quòd nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longè mentiatur, nisi quod iam etiam, vbi causa mentiendi sublata est, mentimur consuetudinis caussa*. Cic. pro Syllâ: *Cuius aures vnquam hoc respuerunt, conatum esse audacter hominem à pueritia, non solùm intemperantia & scelere, sed etiam consuetudine & studio in omni flagitio, stupro, cæde versatum*. Referri huc potest illud Ouidi Epist. Sapphus:


Molle meũ leuibus cor est violabile telis,
Et semper caussa est, cur ego semper amem.
Siue ita nascenti legem dixere sorores:
Et data sunt vitæ fila seuera meæ.
Siue abeunt studia in mores, artésque magistras:
Ingenium nobis mollè Thaleia facit.

Sic, vt habet excerptum Senecæ, *quibusdam canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent*.

CAPVT

CAPVT VII.

Sin:Sin autem: *concisè dicta. Seneca, & Sarisberiensis in Policratico emendati.*



SVBOLEBAT mihi hodie atque heri ignoratam elegantiam concisi & abrupti sermonis, fecisse vt corrumperetur hic Senecæ locus de versibus Cleanthis Epist. 107.ad Lucil.

Sin placuerint, boni consules: si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

Dicam scribunt his verbis libri plutearii. Vnus ex Palatinis minio signauit, referente Grutero. Alius ita concepit: *Si placuerint, scies me in hoc &c.* Deprecor supercilium vestrum, Critici, audaciæ meæ: Autumo abruptum loquendi genus præstrinxisse oculos scriptorum, quando fortean fuit: *Si placuerint, boni consules: Sin, scies*

ſcies me in hoc ſecutum Cic. exemplum. Ac ne quis confidentiùs æquo me hîc graſſatum dicat, ſciat ſimile facinus commiſſum à librariis in Amphitr. Plauti; Act.3.Scen.2.vbi pro : *Sin, ibo ego.*ſcriptum: *ſi non iubes, ibo ego.* Quod tamen ipſummet ſub altero latebat. Detexit id indice Langiano Codice Schoppius 3. ſuſpect. 7. Cicero ita 3. ad Att. 22. *Ego vt conſtitui, adero, atque vtinam tu quoque eodem die: ſin, (quid enim multa?) vtique poſtridie.* Simile mendum obſcurat ſenſum alicubi in Policratico Sariſberienſis lib. 6. cap. 24. in memorabili illo auctoris cum Adriano Pontifice habito colloquio: vbi cum Sariſberienſis Pótifici ſciſcitanti, quæ eſſent populi de ipſo & eius Curialibus iudicia, expoſuiſſet: ita denuò Pontifex quærit, eique auctor ſubiicit:

Et tu, inquit, quid ſentis? Anguſtiæ inquã ſunt vndique. Vereor enim ne mendacij vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem reatum vereor Maieſtatis, ne tanquam qui os meum in cælum poſuerim, crucem

cem videar meruiſſe.

Ita diſpunge: *Sin autem: reatum vereor Maieſtatis,&c.* Id innuit: Si populo non contradixero. Amat ita loqui Sariſberienſis: lib.3.c.13. initio: *Atqui adulator ei nequaquam parere poteſt, qui nihil aliud quærit, niſi vt placeat: Si poteſt, per ſe: ſin autem, perſonam ſuppoſitam quærit,&c.* Lib.7.c.16. *Si poteſt, verſatur in aliquo miniſterio: Sin autem, ſufficit in matricula curialium eſſe conſcriptum.* Dignus eſt hic auctor qui magis teratur ſeduló, quàm fieri ſcimus. Et ego in ipſis meis miſcellis pluries futurus ſum in illo: non quòd Latinitatem eius, quæ ſemibarbara eſt, probem: ſed vt anſam præbeam nonnemini in illo verſandi. Quod abs re non ſit futurum: hoc præſertim æuo, quod circumſpicit nouum Sariſberienſem, qui in Nugas Curialium inuehat.

CAP.

CAPVT VIII.

Mendum ex 1. Thebaid. StatI sublatum.

MIROR tot doctiſſimorum virorum oculis inviſum hactenus, herere etiamnum tam conſpicuum in 1. Theb. StatI mendum. Tydeus ibi ſub nocem cum Polynice profugo conceſſus, hæc ad eum loquitur verba: verſu 461.

Sed quid ego? haut hodie ſpoliis gauiſus abibis,
Quiſquis es, his, aut me, ſi non effœtus oborto
Sanguis hebet luctu, magni de ſtirpe creatum
Oeneos, & Marti non degenerare paterno
Accipies: Nec nos animis nec ſtirpe caremus.

Qualis hîc diſiunctio? *Non abibis gauiſus ſpolijs meis, aut ſenties me Martis* ...*genus.* Imo hæc omninò conſen-

tiunt. Damnant membranæ adſpirationem:nec verius quidquam eſt illo, quod agnoſcunt:

aut hodiè ſpoliis gauiſus abibis,
Quiſquis es, his, aut me, &c.

Ad ſtomachum exſcriptoris indubiè non fuit, Theſeum, vt fortem & ſtrenuum, dicere, aduerſarium ſuum abiturum, gauiſum ſpoliis ſuis. Sed ad mentem eius meliùs attentum oportuit. Hoc enim loquitur: Hæc nunc pugna miſſionem non habebit, & aut tu me vinces, aut ſuperaberis mihi? Tale omnino eſt illud Pallantis apud Virg. 10. Æn.

Aut ſpoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto inſigni.

Et alterum Mezentı eodem libro:

aut hodie victor ſpolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum
Vltor eris mecum: aut, aperit ſi nulla viam vis,
Occumbes pariter.

Similem orationem Turni ad Latinum ſocerum vide initio, xii. Æneid.

Adde

Adde adagium: *Aut vincendum aut moriendum.*

CAPVT IX.

Sol adultus. Vapor senescens. *Locus in Seneca Oetæo correctus.*



EQVE mirum mihi fit, non suboluisse tot doctissimis Senecæ castigatoribus de mendo, in quodam Her-ulis Oetæi loco: vers. 1284.

Sic Arctoas laxare niues
Quamuis tepido sidere Titan
Non tamen audet: vicitque faces
Solis adusti glaciale iubar.

Non mutant scripti libri, & est ab iquot seculis propagatum men-um. Meo periculo lege: *vicitque fa-s Solis adulti glaciale iubar.* Adultum olem vocat meridianum. Geminus, in eamdem sententiam, locus est ud Arbitrum, vbi Eumolpus ca-:

Est locus Herculeis aris sacer, hunc niue durâ
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
Cælum illic cecidisse putes: non solis adulti
Mansuescit radijs, non verni temporis aura, &c.

Non longè secus diem, hiemem, æstatem, &c. adultam legere est. Vide Lipsi. ad 2. Annal. Taciti: Seru. ad Georg. Virg. Calentem solem, in hunc sensum dixit Prudent. libro Cathem. hymno 7.

Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt niues.

Eodem mendo liberauit Dn. Ritershusius Symmachum 2. Epist. 18. *Balneum tibi nuper exstructum, cui torris vnius adulti caloris pabulum satisfacere narratur.* Vbi fuerat *adusti.* Vide Schopp. in verisim. Similis tropus est apud Prudent. Perist. hymn. 2. *Vapor senescens langueat.*

CAP.

CAPVT X.

Summmus aër arboris, rami, montis. Crescere, *de arundine sursum emissa. Valerius Flaccus semel, & semel Statius Papin. emendati.*

LIBR. vi. Argon. ValerI Flacci hi visuntur versus, ad hunc in plerisque editionibus modum:

Qualem populea fidentem nexibus umbra
Si quis auem summi deducat ab arbore rami
Antè manu tacitâ cui plurima creuit arundo:
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos atque irrita concitat alas.

Illud mirum mihi dictu videri nemo mirabitur: *ab arbore rami*: nisi hypallagen auribus nimis insuauiter sonan

nantem admittat. Vulgò ante Carrionem lectum fuit librorum vnanimi consensu: *ab aëre rami.* Quod, quamquam non adeò protritum, sincerum tamen esse quis dubitet, si legat alterum apud Virg. 2. Georg. locum perquàm huic similem?

Aut quos Oceano propior gerit India lucos
Extremi sinus orbis: vbi aëra vincere summum
Arboris haut vllæ iactu potuêre sagittæ.

Ad quem locum magnus Scaliger in Poët. ita notat: *vbi locutionem attendas: Vincere summũ arboris aërem. Plebeius Poëta simpliciter dixisset: arboris cacumen.* Confidentiùs igitur manum infero Papinio, 6. Theb. v. 356. & scribo ex Norico libro:

citharaque manus insertus Apollo
Parnassi summo spectabat ab aëre terras.

Vbi vulgò: *ab æthere.* Vtque hoc, quod indicaui, benè in Aldinâ legitur editione: Ita contrà vitiosissimè eadem exhibet: *cui plurima credit arundo.* Crescere enim arundinem, signata est huius

huius rei phrasis. Martialis 14. Epigr. 218.

Non tantùm calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacitâ crescit arundo manu?

Idem 9. Epigr. 55.

Aut crescente leuis traheretur arundine præda.

Silius lib. 7. V. 676.

Sublimem sequitur calamo crescente volucrem.

Plura pareo cumulare.

CAPVT XI.

Celebro. Celebris locus. Celebritas loci. *Ouidius emendatus.*



QVOD verbum alij alibi Nasoni, ego eidem nunc redonabo libro 5. Trist. Eleg. 7.

Quàm multâ madidæ celantur arundine fossæ:

Optimè hic vetus codex repræſentat, *celebrantur arundine foſſæ. Celebrare* eleganter ponitur pro *frequentare*, *implere*: & celebre hac in ſignificatione eſt hoc verbum Ouidio aliiſque. Metamorph. 1.

dextrâ leuâque Deorum
Atria nobilium valuis celebrantur apertis.

7.Metam.

Inde lacus Hyries videt & Cycneia tempe,
Quæ ſubitus celebrauit olor.

9.Metam.

Tectaque non ſiluas celebrant.

Cumulum eruere poſſis locorum ex OuidI ſcriptis, in quibus noſtra iſtius verbi ſignificatio. Crebrò etiã viſitur apud alios.Cic.de orat.*Teſtis eſt huiuſce Q. MutI ianua & veſtibulum, quod &c.maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebratur.* Quam huius verbi ſignificationem cum alterâ coniungit vetus gloſſarium:*Celebrat,φημίζει, καὶ πληροῖ.* Vnde etiam locus celebris audit, qui à multis frequentatur. Cicero part. Orat.

Orat. inter ea, quæ ſpectanda ſint in locis refert, *celebréſne ſint an deſerti.* Idem pro Seſtio, de ſepulcro Opinii: *Cuius monumentum celeberrimum eſt in foro, ſepulcrum deſertiſſimū in litore Dyrrachio relictum eſt, &c.* Apuleius 2. Florid. *Ibidem in loco celebri coram clariſſimâ luce accubuit.* Vetus gloſſarium Latinogræcum: *Celeberrima:* ἡ συνεχὴς, ἡ πολυάνθρωπος: Τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἐπιφανεστάτου. Idem: *Celeberrimus:* πληθύων τόπος, ἐπιφανέστατος. Vides id ſemper vtramque ſignificationem coniungere. Aliud vet. Lex. Græcolatinum: πολύοχλος: *celeberrima, populoſa.* Sic Cato viam celebrem dixit 1. de re ruſt. Hinc *celebritas loci* dicitur de frequentiâ, ſeu turbâ. Tacit. 3. Annal. *Celebritate loci nihil occultum.* Cicero Terentiæ ſuæ lib. 12. Ep. 1. *Dyrrachium veni, quòd & libera ciuitas eſt, & in me officioſa, & proxima Italiæ. Sed ſi me offendet loci celebritas, aliò me conferam, & ad te ſcribam.* 3. ad Att. 7.. *Odi celebritatem, fugio homines, lucem adſpicere vix poſſum.* Idem viæ celebritatem dixit lib. eod.

Epi.13.& Ep.19.*Celebritas mihi odio est.* Sed onerariā nauim expleas è Cicerone sumtis exemplis. Plini. in Trai. cap.49.*Non solitudine & claustris, sed ciuium celebritate defenditur.* Tacitus vit.Agric.cap.40. *Ac ne notabilis celebritate & frequentiâ occurrentium introitus esset, &c.* Lexicon vetus: πολυοχλία: *celebritas, populositas.* Hoc sensu Cornelius Nepos ædium celebritatem dixit, interprete Schoppio 2.verisim.10.eam ædium partem, quæ celebrari solet. Adi & Gifanium, qui voles plura, in conlectaneis Lucretianis.

CAPVT XII.

Locus in Catilinâ Sallustii emaculatus.



IGNVS coniurationis Catilinariæ fuisse sanguinem humanum ex Floro discimus. Nempe vt arctiùs obstringeret inuicem populares coniurationis

rationis suæ Catilina, ipso auctore societatem nefandi sceleris inierunt, cæso puero, eiusque sanguine in orbem à singulis libato. Eâ re futurum spes fuit, vt alius alii tanti facinoris conscii, sibi inuicem magis fidi forent, & initæ factionis consilium silentio tegerent. Optimum sanè in re pessimâ consiliũ. Nam, teste Satirico:

Carus erit Verri, qui Verrem, tempore quo vult,
Accusare potest.

Adeò semper fouendus est ille, quem participem arcanorum fecimus: adeò timendus. Quam ad rem videris huc Sariberiensem Nug. Curial. lib. 3. c. 13. & Gruterum in discurs. ad Tacit. Ego iam aliquid ad verba, quibus Sallustius id refert, noto, iam olim contaminata, & varietate lectionis celebria:

Fuêre eâ tempestate, qui dicerent, Catilinam oratione habitâ, cum ad insurãdum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse, inde cùm post exsecrationem omnes degu-

ſtauiſſent, ſicuti in ſolemnibus ſacris fieri conſueuit, aperuiſſe conſilium ſuum, atque eo dictitare feciſse, quo inter ſe magis fidi forent, alius alij tanti facinoris conſcij.

Quouis pignore contenderem, ſcriptum à Salluſtio: *atque eò facere dictitâſſe.* Crebrò in taliſmodi traiectionibus peccatum. Et quis non videt totum contextum hoc poſcere, ſi infinitum modum in finitum reſoluas: Cùm deguſtâſſent, aperuit conſilium ſuum Catilina, (Non de inuadendâ Rep. quippe qui id & ante habitam orationem ſingulis ſeparatim, & in oratione confertim vniuerſis ſatis explicauerat: At in adſcriptis verbis vides factum hoc poſt habitam orationem: Id igitur narratus eſt vulgo edocuiſſe ſuos, cui rei hoc facinus excogitârit.) & eò facere dictitauit, quò inter ſe magis fidi forent. *Dictitare* à Salluſtio dictum, qui vnam atque alteram paginam in eo vertit, non dubitabit: vbique enim, obuia huiuſmodi frequentatiua. Coniecerat Riuius: *atque id eâ re feciſse.* EA RE pulcrè

ſanè

ſanè dictum pro ideo. At non eâ tempeſtate à quibuſdam narratum ait Salluſtius, feciſſe hoc eâ re Catilinã: Sed eâ re à ſe factũ ſociis expoſuiſſe. Ex quo corruit etiam nonnullorum librorum lectio: *Atque eò dictam rem feciſſe:* & quæ alii ex ingenio reponere voluerunt. Attigit noſtram emendationem Manutius in ſcholiis, ſed deſeruit. Ita enim ille: *Non diſplicet omnino impreſſa lectio: quãquam eiuſdem temporis hæc tria verba mallem:* Circumtuliſſe, aperuiſſe, dictâſſe: *nec tamen in culpâ poſuerim quod Salluſt. in poſtremo verbo tempus mutauerit.* Aſt mihi iam planè extra culpam poſitus eſt Criſpus.

CAPVT XIII.

Degenerare *tranſitiuè dictum.*
Ouidius bis correctus.



IN deſcriptione Oenopiæ grauiſſimâ infectæ peſtilentiâ, vii. Metam. fallor an

an ope mſ.mendum ſuſtuli ex his verſibus:

Acer equus quondam, magnaque in puluere fama
Degenerat, palma, veterumque oblitus honorum,
Ad præſepe gemit, morbo moriturus inerti.

In membranis Thuringicis ſcribitur: *Degenerat palmas*: idque gloſſæ interlineares interpretantur, *denobilitat:*

[Nôris cum MS. Thuringico conſentire Codd. Palatinos: quos triennio pòſt, quàm hæc ſcripſeram, inſpexi.]

Benè! modò ſuppeteret exemplum huius verbi ἐνεργητικῶς poſiti. Ita enim ferè et in Triſtib. dixit:

Ne cadat, & multas palmas inhoneſtet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.

Et malè cohærens oratio videtur huiuſmodi quid poſcere. Sed en! Suppetit exemplum apud eumdem, at eodem modo corruptum: 3. de Pont. Eleg. 1. ad coniugem:

Magna tibi impoſita eſt noſtris perſona libellis,
Coniugis exemplum diceris eſſe bonæ.

Ne

Ne caue degeneres: & sint praeconia nostra
Vera vide, fama quò tuearis opus.

Ita quidem nouissimè excusum. Variant tamē alii tam cusi quàm scripti libri. Quidam: *Hanc ne degeneres:* alii: *Hinc caue degeneres:* Nonnulli: *Hanc caue degeneres:* Cui postremæ lectioni calculum adiiciunt membranæ, quibus vsus sum, optimæ & antiquissimæ. Quas cum plerisque omnibus locis emendatè scriptas depréderim, de huius loci sanitate nullus ambigo. Mouet me etiam inconstantia exemplarium, quæ & ipsa, vt suprà monui, innuit, subfuisse aliquid non ad captum exscriptorum, nec ex vulgi ingenio. Vsus est hoc verbo & Papinius transitiuè, 3. Silu. in Herc. Surent. vers. 161. Sed & hic locus corruptus fuit: auorum verò nostrorū seculo à Politiano (credo ex fide ms.) restitutus:

Nam capit, & tantum non degenerauit honorem.

Aliàs fuit: *dedignatur.* Vide Scholion Bernartl ad h. vers. & Angel. Politiani Epist. 1. lib. 6. Nec de sunt alia, præter

præter vulgarem vſum ita vſurpata: vt ſunt: *Requieſco, erumpo, prorumpo, emergo, conſpiro, ſerpo, polleo, verno*: quorum exempla exhibebo in ipſis miſcellis, lib. 1. cap. 5. Plura huius farinæ ſi quis inſuper deſiderat, adeat Giſan. ind. in Lucret. verb. *Conſueſcere, conſiſtere, contendere, & erumpere*: Item Non. Marcellum, in *Deſaeui.*

CAPVT XIV.

Purpurea anima. Exſpuere, ſingultare animam. *Val. Flaccus, Seruius, & Seneca correcti.*



OPTIMAM lectionem ex Aldina editione erui in Argonaut. ValerI Flacci. lib. 3.

---ſubit ilia cuſpis
Oeleniꝗ: dedit illa ſonum; compreſſaque mandens
Æquora, purpuream ſingultibus expulit haſtam.

Sic

Sic quidem vulgò editur. Aſt, quæ Aldi nomen oſtentat, editio:

purpuream ſingultibus exſpuit auram.

En quam reuera gemma hæc eſt lectionis. Purpuream auram vocat ſanguinem: vti Virg. 9. Æneid. *Purpureã vomit ille animam.* Seruius. 1. Æn. ad hæc verba: TVAQVE ANIMAM HANC EFFVNDERE DEXTRA. *Secundùm eos, qui dicunt ſanguinem eſſe animam, vt ipſe: Purpuream v. i. animam. Nam alio loco licet alias aliorum opinionem ſequitur, qui dicunt ſpiritum eſſe animam, vt eſt: atque in ventos vita receſſit.* Vbi memineris duas nequam voces abiicere: *licet alias:* quæ etiam abſunt à duobus noſtratibus mſſ. nec quidquam præſtant prȩter ſenſus turbationem. Purpuram ſanguinis Prudentius dixit, libr. Periſteph. hymn. 3.

Scriberis ecce mihi Domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Chriſte trophæa notant,
Nomen & ipſa ſacrum loquitur
Purpura ſanguinis eliciti.

Idem lib. eod. hymn. 5.

Hic

Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Singultibus exſpuere dictum, vt illud PapinI, 5.Thebaid.v.261.

Semineces pueri trepidas in limine vitæ
Singultant animas.

& 3.Theb.v.50.

-e xtremiſque anima ſingultibus errans
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere ſanguis.

ſi iungas his alia aliorum loca, vbi *animam* & *ſpiritum exſpuere* dicitur. Seneca 3.de irâ,cap. vlt. *Iam ipſum ſpiritum exſpuimus interea, dum trahimus.* Seneca alter in Thyeſt.v.244.

Ferro peremtus ſpiritum inimicum exſpuat.

Quibus locis fretus manum infero Herc.Oetæo v.1467.

Ictus ſagittis qui tuis vitam expulit.

& pro *expulit*, vel, vt in pleriſque libris, *extulit*, reſcribo: *exſpuit*. Vtrique huic emendationi facit & alius Senecæ locus, Troad.v.1168.


Vbi hanc anilis exſpuam leti moram.

Sunt, qui velint legere: *anilis exuam leti mo*

ti moram: quia duriuſcula hîc ſit illa translatio. Quibus adſenſum meum non præbeo. Solemus enim vſurpare hoc verbum pro *abiicere*. Lucretius: *Exſpuere ex animo rationem*. Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 1. *Quaſi vbi illam exſpueret miſeriam ex animo.*

CAPVT XV.

Anima *pro vento, & halitu oris.* Venti exſpirant, moriuntur. *Senecæ Hippolytus ſemel correcta: ſemel item Ouidius, & leuiter Claudianus.*



ERVI locus præcedenti capite adductus, vbi ait ſecundùm quoſdam animam ſpiritum ſeu ventum eſſe, aurem mihi vellicat, & in memoriam reuocat cuiuſdã loci à me ope ſcripti libri in Hippolyto Senecæ emendati: ſub initium, verſu 10.

Quà rorifera mulcens aura

Zephy

Zephyrus vernas euocat herbas.
Scriptum ibi offendi:

Quà rorifera mulcens animâ, &c.

Optimè, me-Dius Fidius? Animam enim pro vento dici, nunc ferè tralatitium est: idque proximè ad Græcum ἄνεμος accedit. Vnde Seruius 8. Æneid. ad illum versum: QVANTVM IGNES ANIMAEQVE VALENT: ita notat: Hic animæ pro spiritu, quo fabriles folles inflari solent. i. e. vento ἀπὸ τῶν ἀνέμων. Vnde anima dicitur, quæ secundùm quosdam ventus est. Cice. libr. de Vniuers. *Inter ignem & terram, aquam Deus animamque posuit:* quamquam veriùs hîc notat aërem. Lucret. 5. Natural. *Aurarumque leues animæ.* Idem eodem:

---ac prece quæsit
Ventorum pauidus paces, animasque secundas.

Idem libr. 6.

Ventus vbi, atque animæ subitò vis maxima quædam.

Paulloque pòst vocat exitum animæ, qui venti. Horat.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Ita

Ita etiam capio Claudianum, 1. de rapt. Proserp. v. 243.

nullum tanto sudore Pyragmon
Nec Steropes construxit opus, nec talibus vnquam
Spirauêre notis animæ.

Vbi literâ initiali *Notis* scribi oportet. Eleganterque & argutè Symposius in ænigmatis ventum, quo vter est inflatus, eius vocat animam: Ænigm. 72.

VTER.

Non ego continuò morior, dum spiritus exit,
Nam redit adsiduè, quamuis & sæpè recedat.
Nunc mihi magna mea est anima, nunc nulla facultas.

Vetus Persii glossator ad illa verba Sat. 1. *Quod pulmo animæ prælargus anhelet*: pulcrè notat: *Animæ prælargus dicit vento abundans* Plura qui volet adeat Non. Marcell. in ANIMA. Vbi, quod obiter noto, exempla cumulat, quibus anima etiam de spiritu siue halitu oris accipitur. Illa planè firmant lectionem meorum & Bersmani

ni mſſ. 4. Metam. Ouid. Fab. de Athamante furore percito: *Inſpiratque graues animas.* Vbi excuſum typis hactenus, *animos.* Cui loco ſimilimus eſt alius Virgil. 7. Æn. de Amatâ furore ab Alecto correptâ:

falltque furentem,
Vipeream inſpirans animam.

Sed hoc, vt dixi, ἐν παρόδῳ. Dat ventis & Arnobius animas, ſed pergit in translatione, eoſdemque exſpirare & emori ait. 1. adu. gent. *Numquid ſuas animas exſpirauerunt venti? emortuiſque flaminibus neque cælum coartatur in nubila, nec madidata imbribus arua ſuccesſcunt.*

CAPVT XVI.

Mare *auferendi caſu dictum. Emendatur verſus Ouidi.*



PVLCRE Seneca loquitur 4. de benefi. cap. 29. *Quis beneficium dixit quadram panis aut ſtipem æris abiecti, aut ignis accendendi*

dendi factam potestatem? Quam in rem EnnI versus, & elegantem Ciceronis locum videas 1.offic.pag.473. & quæ Socrates ad Critobulum loquitur apud Xenoph.in Oeconom. Geminissimus illis Senecæ verbis versus est OuidI, 1.de Art.

Quis vetat apposito lumen de lumine sumi,
Quisue cauum vastas in mare seruet aquas.

Sed vix est vt vlli non sit suspectus versus posterior: Mirè enim dictum: *seruare aquas in cauum mare.* Scio, ablegabis me ad Agell. 1. Noct. 7. vbi defendit, quod Cice. *in potestatem esse,* & Plautus, *in mentem esse*, dixerunt. At illa præter morem Ouidio vsurpatum. Fido egomet fidis membranis, quæ disertim legunt:

Quisue cauo vastas in mare seruet aquas.

Mare pro *mari*: quod priscis scriptoribus celeberrimum.
Ita noster 5.Trist.2.

Exiguum pleno de mare demat aqua.

Idem 4.Pont.Eleg.6.

Et

Et priùs hic nobis nimiùm conterminus Ister
In caput Euxino de mare vertet iter.

Et in Ibin:

---frondes vt si quis ab Idâ,
Et summam Lybico de mare carpat aquam.

Lucret 1.Nat.

E mare primùm homines, è terrâ posset oriri
Squamigerum genus.

Plautus, arg. Rudentis:

Reti piscator extraxit de mare vidulum.

Catull. in faselo:

cum veniret à mare
Longissimo huc ad vsque limpidum lacum.

Gaius l. 5. ff. de rer. diuis. *retia siccare & ex mare reducere.* Eodem modo Boëthius *site* dixit, pro *siti:*

Et longâ site perditus
Spernit flumina Tantalus.

Idem factum est in *rete* à quodam ex vett. Poëtis Astronomicis:

Æquales libra September digerit horas:

Cum

Cum botru is captum rete ferens leporem.

Adde Priscian. in Gramm. Phædrum lib.4.Fab.60. Muretum, qui pulcrum Plauti iocum ignoratâ hac vocabuli inflexione corruptum restituit, 3. Var.17.

CAPVT XVII.

Facere, & fieri, *de sacrificiis.* Suouetaurilia *Seruius emendatus.*



VAS SeruI interpretationes, duorum VirgilI locorum,tentabo.Pag.547. iuxta edit.P. Danielis:

CONTRA QVEM TALIA FATVR. Cur cum duobus sit locutus Ascanius, & vnus illis respondit, id est Eurialus, & minorque Euria-lo & familiariùs & posteriùs locutus. dein quia Euryalus matrem commendare debeat.*

Membranæ hîc nihil iuuabant,& desiderabantur hæc in ijs omnia. Ita tamen emendauerim: *& vnus illi respondet, & minor? Quia Euryalo & familiariùs & posteriùs est locutus: Dein quia Euryalus matrem commendare debebat.* Tres eiectæ voculæ ab inſcitâ profectæ ſunt manu. Pag. 563.

*ET STATVAM ANTE ARAS. Per aras ſe daturum victimam oſtendit alibi, ſi ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aras. Quotiens enim victima reluctabatur, oſtendebat ſe improbari. Lucanus: Diſcuſſâ fugit ab arâ Taurus. Iuuencum autem ſecundùm Romanas cerimonias dixit. Nam Ioui de tauro non immolabatur, vt etiam in tertio diximus, niſi cum triumphi nomine ſuonetaurium * faciebant: quod tamen ideò admiſſum eſt: quia non tantùm Ioui, ſed & alijs Dijs, qui bello præſunt, ſacrificabatur.*

Planum eſt, abſque etiam vocabulo ARAS foret, victimam Aſcanium daturum fuiſſe. Lege & diſtingue cum mſ. *Aptam ſe daturum victimam oſtendit. Alibi: Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus*

hircus ad aram. Explicat igitur Seruius non ARAS, SED STATVAM: cui in adducto loco respondet STABIT. Sic ratio subiecta apprimè conueniet in verbis: *Quotiens &c.* quæ secus ne digna quidem est vt legatur. Alterum verò istud monstrum, *suonetaurium faciebant*: placebat ita ad quamdam sui faciem reducere, vt pro eo, quod erat in mss. *suone taurorum fiebat*: non magna mutatione legerem: *sanguine taurorum fiebat*. Et videbatur ingenium librarI non cepisse elegantia τοῦ *fiebat*: Idem videlicet esse *fieri* cum *sacrificari*: quemadmodum *facere* cum *sacrificare*. Varr. ap. Non. in Ruma: *Dis semonibus* (vt. Lips. legit) *lacte fit non vino*. Cic. 1. ad Att. *P. Claudium Appij filium te credo audijsse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, cùm pro populo fieret*. Tibull. *Ter tibi fit libo, ter Dea casta mero*. Vett. glossæ ad Pers. Sat. 5. v. 185. *Sacerdotes qui explorandis periculis sacra faciebant, obseruare solebant ouum igni impositum, vtrùm in capite an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat,*

periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius. De tauro Ioui immolando consule Macrob. 3. Sat. 11. Delr. ad Senec. Herc. Fur. v. 299. vbi componere laborat dissidentia hac de re veterum loca. Pòst verò, cum viderem in altero mſ. *suo vetaurium faciebant* exaratum, & pictum super *vetaurium* hoc glossemation: *sacrificium vetitum:* altiùs hæc perpendi, atque eâ cogitatione ad veram lectionem perductus fui, vt legerem: *nisi cùm triumphi nomine suouetaurium faciebant.* Nomen sacrificio inditum, quòd diuersis hostiis Sue, Oue, Tauro fiebat. Suouetaurilia indigetant alij. Liu. lib. 1. *Ibi instructum exercitum omnẽ suouetaurilibus lustrauit.* Tacitus 6. Annal. *Sacrificantibus cum hic more Romano Suouetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, &c.* Cato de re Rust. cap. 141. *Agrum sic lustrare oportet. Impera Suouetaurilia circumagi, &c.* Aliquoties nominat illo capite. Solitaurilia Festus appellat, quod omnes eæ hostiæ solidi integrique sint corporis: quem vide in *Solitaurilia*

rilia. Asconius quoque 1. Verrinâ: *Iidem completo quinquennio vrbem lustrabant, & Solitaurilia sacrificia de sue, one, tauro faciebant.* Gloss. vet. *Solitaurilia*, θυσία ἐκ συὸς, κριοῦ, καὶ ταύρου. Vide Godelæu. ad dictum Liui locum: Alciatum, & Rhenanum ad Tacitum: Salmuth ad Panciroll. pag. 528. Omniumque optimè, decus Thuringiæ nostræ, Ioh. Rosinum 4. Antiqu. Rom. 17.

CAPVT XVIII.

Translatio à curru ad Poëma. Alea blanda. Turma Amazonum. Positus comarum. *Correctus Ouidius in libris de Arte am. sæpius: semel Statius.*



ON desideret aliquis quidquam in his versibus 1. de Art. Am.

Hactenus vnde legas, quod ames, vbi retia ponas,

Præcipit imparibus vecta Thalia modis.

Liber tamen ſcriptus *imparibus rotis* vehit Thaliam. Vide ſis, Lector, allegoriam elegantiſſimam, quam ſtipites librarii penè occiderant. Eadem eſt ſuprà:

Hic modus, hæc noſtro ſignabitur area curru:
Hæc erit admiſsâ meta terenda rotâ.

Et infrà lib. 3.

Fert animus propiùs conſiſtere, ſupprime habenas,
Muſa, nec admiſſis excutiare rotis.

Idem 3. de Pont. Eleg. 4.

Ferre etenim molles Elegi tam vaſta triumphi
Pondera diſparibus non potuêre rotis.

Propert:

Mollia ſunt parvis prata terenda rotis.

Idem:

Et mecum in curru parui vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba ſecuta rotas.

Et ſatis argutè Cicer. ad Q. Fr. 2. Epiſt.

14. Ego verò ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod sæpe viatoribus, cùm properant, euenit: vt si seriùs quàm voluerunt, fortè surrexerint: properando etiam citiùs, quàm si de multa nocte vigilassent, perueniant quò velint, sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormiui diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatē, tum equis, tum verò (quoniam scribis Poëma ab eo nostrum probari) quadrigis Poëticis. Insolentiùs vero non paullò, quàm hæc, dictum est ab Ausonio, in profess. Epigr. 5.

Doctrina nulli tanta in illo tempore,
Cursusque tot fandi & rotæ.

Eodem libro. nec vllus suspiçetur vnquam, quidquam subesse mendi in his versibus:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Et reuocat cupidas alea sæpe manus.

Vbi tamen valde mihi adblanditur veteris libri scriptura:

Et reuocat cupidas alea blanda manus.

Ita enim idem 1. de Pont. Eleg. 6.

Nec tenet incertas alea blanda manus.

Martial.4.Epigram.

Dum blandâ vagus aleâ December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Idem 4.Epigram.

Supposita est nunquam blando tibi tessera talo,
Alea sed parcæ sola fuêre nuces.

Quùm in præceptis Amatoriæ artis ad illa venit, quæ ægrotâ amasiâ obseruanda, ex primis hoc est:

Neue cibos prabe: nec amari pocula succi
Porrige: riualis misceat illa tuus.

Quæ regula magis mihi placet, forsan & tibi, LECTOR, si cum membranis legas:

Neue cibos prohibe.

Cuiuis compertũ est, quàm decumbentes inhiemus in vetitos cibos, quamque à deglutiendis medicamentis abhorreamus. Vtrumque igitur vno fasciculo Poëta cóplectitur: vt ne amascius suam arceat à cibis, interdictis licèt, si desiderio illorum adficiatur: nec contrà inuergere ipsi laboret, cuius habeat nauseam: Quin hanc prouinciam potiùs mandet suo riuali.

riuali. Vtrumqne etiam iungit lib. I. de remed. Am.

Sæpe bibi ſuccos, quamuis inuitus, amaros
Aeger, & oranti menſa negata mihi eſt.

Qui verſus poſterior valde eſt illuſtrãdo huic loco, & ſtabiliẽdæ emendationi noſtræ. Vti non minùs Seneca Epiſt. 94. *Quid, quòd habent ægri ſaniique quædam communia, de quibus admonendi ſunt: tamquam ne auidè cibos appetant, vt laſſitudinem vitent.*

Tertius liber de Art. Amandi ita incohat vulgo:

Prima dedi Danaïs in Amazonas arma: ſuperſunt
Quæ tibi dem, & turba, Pentheſilea, tuæ.

Rectiſſimè præ hac lectione liber Thuringicus:

Arma dedi Danaïs in Amazonas: arma ſuperſunt
Quæ tibi dem & turmæ, Pentheſilea, tuæ.

Prius indicauit & Berſmanus. poſterius hactenus latuit. Vide & hic, le-

ctor,quam decoram allegoriam exscriptores mutilarint. Nosti Amazonas fuisse bellatrices equitatu etiam insignes. Similem emendationem debemus elegantissimo Gulielmio in Propert.3.Eleg.13.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodoonteis turma lauatur aquis.

Et in Martial. 7. Epigr. Vide ipsius quæst.Plaut.in Pseudol.cap.vlt.Quibus locis firmandæ huius correctionis adde Val.Flacc.Argonaut:

--ludo volitans cùm turma superbo
Puluereis exsultat aquis.

Amazonas intelligit, Claud.2.de rapt. v.62.

Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulcra cohors,quoties Arcton populata virago
Hippolyte niueas ducit post pralia turmas.

Stat.1.Silu.in Cal. Decembr.

Credas ad Tanaim ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

Idem mendum sustuli ex 9.Theb.Pa-

pinI,

pinI, verſ. 123.

- Piſaaque prapetis Ida
Turba ſubit.

Erfurtenſis liber rectè: *Turma ſubit.*

CAPVT XIX.

Nugalis. *Duobus locis Capella in Satirico correctus.*

INITIVM Satirici, ſiue de Nuptiis MercurI & Philologiæ, Martiani Capellæ, turpat adhuc poſt Hugonem Grotium aliqua macula: quando ita editur:

Dum crebriùs iſtos Hymenæi verſiculos, neſcio quid inopinum intactumque moliens cano, reſperſum capillis albicantibus verticem incrementiſque luſtralibus decuriatum, nugulas ineptas adgarrire non perferens, Martianus interuenit.

Quidam libri habent: *nugulas ineptias.* Quod quis defendere poſſit, dictum ad exemplum iſtius, quod eſt in Epi-

taphio SergI Polensis parasiti: *Abite in rem vestram viatores optimi, his nugis ambagibus condonati posthumis.* Et quæ alia ad eamdem faciem Palmerius cumulat in Spicilegiis. Sed aliam mentem mihi præit ms. in quo reperi: *nugales ineptias.* Dignum hoc Capellâ vocabulum, nec possum ab eo non profectum credere. Agellius idem vsurpat, 1. Noct. 2. *Sed theorematibus tantùm nugalibus dilatrantes, obiurgatione iustâ incessiuit.* Idem: *& alia quædam nugalia proferebant.*

Alium inferiùs locum huic iungo, qui sic imprimitur:

Non dispar illum formæ desiderabilis grataque luculentas in Manticen quoquè succenderat. Nam & nobilitas generis illam, quippe Pronoë maior est filiarum & prouidum prospicacis prudentiæ commendabat ingenium.

Lege ex ms. *quippe Pronoës maiorem filiarum.* A nobilitate generis commendat: maiorem natu esse Prouidentiæ filiam: scilicet ex tribus: quæ sunt: *Cognitio præteritorum, præsentium, & futurorum.* Maior ideo, quia maioris pru

prudentiæ futura præſcire, quàm noſſe præterita, aut quæ ante pedes ſunt. Natum eſt mendum ex compendio ſcripturæ, cùm *maiorẽ* mutârunt in *maior eſt.*

CAPVT XX.

Bella, prælia, vulnera ſerere. Serere ſermones, iurgia. *Silius*, *Papinius*, *& Val. Flaccus correcti.*



NTE Modium, SilI tertio Punicorum ita fuit lectum:

Fundâ bella ferens Balearis & alite plumbo.

Ex quo Modius fecit: *bella gerens.* Propiùs abibo ego à ſcripturâ iſtâ, & legam: *Fundâ bella ſerens.* Apprimè conuenit fundæ *ſerere, ἀντὶ τοῦ ſpargere.* Ita *bella ſerere*, Salluſt. I. hiſtor. in orat. Philippi dixit: *Quibus quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt: Hi tumultũ ex tumultu, bellũ ex bello ſerunt. Prælia*

ſerere.

ſerere, Tacitus 21. Annal. *Et ſequentibus diebus crebra pro portis prælia ſerebant.* *Bella conſerere*, Arnobius 2. aduerſ. gentes: *Suis ſententiis bella cum aduerſariis conſerunt, & peruicaciâ ſemper digladiantur hoſtili.* Eodem libro idem: *Inimicitias gererent, conſererent inter ſe bella, expugnarent atque euerterent ciuitates.* *Vulnera ſerere*, Silius lib. 5. verſ. 236.

- qui iam vicina ſerebat
Vulnera pugnantis tergo.

Lucret. 5. Natural.

Ære ſolum terræ tractabant, æreque belli
Miſcebant fluctus, & vulnera vaſta ſerebant.

Nec longè abſimiliter Stat. 6. Theb. v. 778.

-illum rigida arma canentem
Aduocat, & manibus necopinum interſerit ictum
Callidus, & mediam deſignat vulnere frontem.

Idem mendum tolerauimus hactenus 6. Theb. Papini: verſ. 939. *Multa duces errrare ferunt.* Quod tollo fide membranarum Thuring. & Noricarum,

ricarum,& scribo:*serunt*. Metaphora vsitatissima, dum *serere sermones*, pro *loqui* dicunt. Lexicon vet. λέγω: *Dico, fór, memoro, aio, sero*. Inde Isidorus: *Sermo dictus, quia inter vtrumque seritur.* Atque ita etiam Varro. Eleganter hac metaphorâ vtitur 2. Achill. v. 35.

Sic segnes Heroës eunt, campumque patentem
Alterno sermone serunt.

Vides allegoriam venustissimam: *Cãpum serere alterno sermone*: quando obambulantes in campo colloquuntur: quam tamen spernunt quidam vett. libri, in quibus est: *Alterno sermone terunt.*

Occupat talis error 3. Argon. ValerI:

At pius ingenti Telamon iam fluctuat ira
Cum fremitu, sæuisque ferens fera iurgia dictis.

Pro quo Carrio ex vet. libro reposuit: *sæuisque furens in iurgia dictis.* Longè pulcriùs edidit hunc versum Aldus: *sæuisque serens fera iurgia dictis.* Fortassis & 4. Theb. StatI legendum est:

Dum

Dumque ea dicta serunt non, vt ha ctenus, *ferunt*. Quę eadem varietas est in vi. Æneid.

Multa inter sese vario sermone sere-
bant.

Confusio horum duorum *ferre*, & *serere*, reuocat mihi in mentem similis variationis inter *furere*, & *ferre*, quam mihi videor duobus apud Silium locis deprehendisse. Prior est lib.7.v.41.

Veientū populi violatâ pace negabant
Acceptare iugum, ac vicino Marte fu-
rebant
Ad portas bellum, consulque ciebat ad
arma.

Scopæ dissolutæ. Lego:

-ac vicino Marte ferebant
Ad portas bellum.

Alter est lib.2.vers. 267.

Anchitur raptim ductor, discrimine
leti
Turbatus, cursumque ferens ad castra
capessit.

Lego: *Cursumque furens ad castra capessit.* Cur enim *ferre* & *capessere* vni nomini *cursum* iunxerit?

CAP.

CAPVT XXI.

Ouidius correctus & explicatus. Suum aliquid dicere, ducere.

PARVM intellecta hactenus Æaci verba 7.Metam. leuissimâ correctiunculâ luce meridianâ clariora nunc reddam. Quando is Cephalo Atheniensium legato auxilium promittit, ita ad eum loqui fingitur:

Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenæ:
Nec dubiæ vires quas hæc habet insula, vestras
Ducite, & omnis eat rerum status iste mearum.

Hæret & Glareanus hoc loco, medioque versu subaudit substantiuum *sunt*, & miratur, cur non potiùs legatur *dubias vires*. Pro *ducite*, omnes ferè scripti libri habent *dicite*: quod minùs rectum videtur Bersmano: Mihi verò rectissimum; si pro *dubiæ* legas *dubiè*:

Nec

Nec dubiè vires, quas hæc habet insula, vestras
Dicite.

Idem ſic promittetur hîc Cephalo, quod Peleo xi. Metam. à Ceyce:

Quod petis omne feres, tuaque hæc pro parte vocato
Qualiacunque vides.

Et alteri apud Horat. 2. Serm. Sat. 3.

-Quidquid mihi, quidquid & horum
Cuique domi eſt, id crede tuum, & vel nunc pete vel cras.

Similiter legati Neapolitanorum ad Romanos, apud Liu. lib. 2. Decad. 3. *Gratum ſibi, patres Romanos populumque facturum, ſi omnes res Neopolitanorum ſuas duxiſſent: dignoſque iudicauerint, à quibus donum animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quàm re maius ampliuſque acciperent.* Verba etiam PliniI 1. Epiſt. 4. ad Pompeiam Celerinam, his OuidI non ſunt abſimilia: *Non mehercule tam mea ſunt, quæ mea ſunt, quàm quæ tua. Hoc tamen differunt, quòd ſolicitiùs & intentiùs tui me, quam mei excipiunt. Idem fortaſſe eueniet tibi, ſi quando in noſtra diuerteris*

ris,quod velim facias:primùm vt perinde noſtris rebus, ac nos tuis, perfruaris, &c. Quod ſi malis,cum Berſmano, *Ducite*, non obnixè pugnabo. Ita enim Cice. pro Deiot. *Ille corpus ſuum periculo obiecit,tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum.* Et pro Milone: *Quid iam reſtat?quid habeo? quid dicam? quid faciam,pro tuis in me meritis? niſi vt eam fortunam, quæcunque erit tua,ducam meam.* Plin. Paneg. Trai.cap. 4. *Quotuſquiſque principum ne id quidem in patrimoniys noſtris ſuum eſſe duxit, quod eſſet de ſuo.* Atque ita etiam Liuius in modò adſcriptis verbis.

CAPVT XXII.

Cummaximè. *Emendatus Cic. de Aruſp. reſponſis, Florus libb. rer. Rom.& Terentius.Coniectura in Sen.de benef.*

LATINAE linguæ nõ exiguam portionem conſiſtere in particulis,in vulgus notum eſt. Veren

Verendum igitur,opinor,non eſt mihi,ne μικρόλογος audiam, ſi quandoque in ijs occuper: id quod hoc quoque futurum eſt capite. In orat.Cic. de Aruſp.reſp.ita editur:

Vetera fortaſſe loquimur: quamquam hoc ſi minùs ciuili iure perſcriptum eſt, lege tamen naturæ, communi iure gentium ſancitum eſt, vt nihil mortales à DIS immortalibus vſucapere poſſint: veruntamen antiqua negligimus, etiamnè ea negligemus, quæ fiunt maximè?

MS. Thuringicus: *etiamnè ea negligemus,quæ fiunt cummaxima*: Minimâ licentiâ mutem:quæ fiunt *cummaximè*. Elegans illa particula, boniſque auctoribus vſurpata crebrò,& valet ferè *in præſens,hoc ipſo momentó*. Ignota illa vulgo, paſſim fuit ſolicitata ab indoctis librariis.Senec.Epiſt.99.vbi ſolatur, vel potiùs obiurgat Marullum æquo grauiùs ferentem obitum filii: *Æquo animo excipe neceſſaria. Quid incredibile? Quid nouum euenit? Quàm multis cummaximè funus locatur? Quàm multis vitalia eruuntur? Quàm multi*

poſt

post luctum tuum lugebunt? Idem Epist. 120. *Hoc quod futurum dico, cummaximè fit, & pars eius iam magna facta est.* Vbi nonnulli *mss.* & Erasmi editio: *nunc maximè*. Perperam. Idem 3. de benef. 3. *Non potest autem quisquã & inuidere & gratias agere. Quia inuidere querentis & mæsti est: gratias agere gaudentis. Deinde quia nemo nostrûm nouit, nisi id tempus quod cummaximè transit.* Vbi lectum aliquando *eum maximè.* Pessimè. Lib. 6. benef. 6. *Qui negat ab his accepisse se, à quibus cummaximè accipit, qui & semper daturi sunt, & nũquã recepturi.* Hîc in vett. nonnullis *quammaxima*: in Coloniensibus: *cummaxima*, in quod abierat & apud Cicer. adducto loco. Lib. 1. de benef. 7. *Hoc vt scias ita esse, ecce Thalia, de qua cummaximè agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum verò Musa.* Lib. 2. de benef. 6. *Nam corripere eum, cui cummaximè aliquid præstes, dementia est.* Epistol. 117. *Textorium, inquis, totum mehercule est, quod cummaximè agitur.* 3. de benef. 3. *Parum est, quòd, vt perueniret ad patrem, tot pericula maximos duces cummaximè*

*ximè prementia contemſit.*Et hîc in vno *mſ. maximos duces eum maximè pr.cont.* ineptè.De benef.7.c. 2. *Hanc voluptatem æqualem,intrepidam, numquã ſenſuram ſui tædium, percipit hic,quem deformamus cummaximè.* Hîc in diuerſis fuit : *quammax. quemmax.quimaximè.* Libr.eod.c.27. *Si tibi vitæ noſtræ imago ſuccurret, videberis tibi videre captæ cummaximè ciuitatis faciem.* Vbi olim: *quam maximè.* Idem Epiſto.124. *Atqui quantulum intereſt inter eum, qui cummaximè vitam accipit, & illum qui maternorum viſcerum latens onus eſt.* Ibi quoque mſ.*quicumque maxime*:vel,*qui vtcunque max.* Tacit. 4. hiſtor. *Muros ciuitatis, congregantibus ſe cummaximè Romanorum exercitibus, augere nobis quàm diruere tutius eſt.* Idem 3.Annal. *Bello ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri, litora & lacus Campaniæ cummaximè peragrantem.* Et 4. Annal. *Is diſpoſitâ claſſiariorum copiâ, cœptantem cummaximè coniurationem diſiecit.* Auſon. Grat. act. ad Gratian. *In procinctu & cummaximè dimicaturus palmatæ veſtis meæ ornamenta diſponis.*Hæc cumulaui loca

loca adſerendi hanc particulam, & demonſtrādi, quam ab ignaris librariis malè habita fuerit. Adde Taubm. ad Milit. Pl. Act. 4. Sc. 4. v. 17. &, ni fallor, Val. Acidalium alicubi in notis ad Tacit. Liuinei. in not. ad Paneg. 2. cap. 2. vbi plura exempla, in quibus pleriſque eſt *nunc cummaximè*: prius opinor, poſterioris eſt gloſſa. Ariolabar olim huiuſce quid ad iſtum 3. de benef. 30. locum: ſed timidè illam ariolationem promo: *Sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim ſentienti, ſentiens me dare.* Prodit inconſtantia librorum aliquid non tritum hîc fuiſſe. NazarI codex: *cum ſentiens me dare*: alius: *conſentiens me darem*: alius: *conſentiens me*: alius: *cum ſentiens me.* Opinabar ſcriptum fuiſſe Senecæ, vel: *cummaximè ſentiens me dare*: vt retineatur tota lectio Naz. Cod. & elapſa vox putetur: vel, *cummaximè ſentiens.* Vti dicamus compendiosè ſcriptum: *cum me ſentiens.* Ex quo trāſpoſitis dictionibus factum: *cum ſentiens me*, & *conſentiens me.* Quadrat apprimè huc illa particula: Filius qui parenti vitam con

conſeruat, cummaximè ſentit ſe ei dare vitam: Minùs verò pater qui voluptatis ſuæ cauſſa, aut tamen per voluptatem. Reſcribi debet & in Tertull. Apologet. cap. 5. *Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam cummaximè Romæ orientem Cæſariano gladio ferociſſe.* Vbi editur: *tum maximè.* Amat hanc particulam ille ſcriptor. Libr. de patientiâ: *Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam non domino odioſa, hoc quidem loco cummaximè, cùm ab alterius malitia prouocata.* De reſurrect. *Quo cummaximè diuiſionẽ iſtam materiæ ordinamus.* De Corona Milit. *Viderunt vnde auctoritas moris, de qua cummaximè quæritur.* Vbi mſſ. quidam corruptè *quammaximè.* Libr. 4. aduerſ. Marc. *Vtrumne, qui cummaximè edocere tentabat, an qui à primordio ad illos & legis & prophetarum eloquia mandauerat.* Eod. libro: *Id Euangelium Lucæ ab initio editionis ſuæ ſtare, quod cummaximè tuemur.* Eod. *Quomodo enim deteſtator: qui cummaximè potiora legis prætereuntes incuſabat, &c.* Facta ſic mihi occaſione

&L.

& L. Ann. Florum emendo, lib. 2. rer. Romanarum, cap. 16. de bello Achaico: *Igitur Metello ordinanti, cui tum maximè Macedonia, mandata est vltio, & hinc Achaicum bellum.* Ita editio Vineti: aliis omnibus abest τὸ *cui.* Si quid video, ita legendum est: *Igitur Metello ordinanti cummaximè Macedoniam mandata est vltio, &c.* Q. Cęcilius Metellus, siue consul, vt Florus libr. eod. c. 14. siue prætor, vt Velleius lib. 2. debellauerat Andriscũ Pseudophilippum, & Macedoniam cummaximè ordinabat, eo, quo Critolaus Romanos offendebat, tempore. Adde Epit. Liu. lib. 50. in fin. & lib. 52. princip. Nec fit mihi dubium apud eumdem lib. 4. cap. 1. expulsam esse eãdem particulam, ibi: *Lentulus quoquè tunc maximè Prætor hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit:* & legi debere: *Lentulus quoquè cummaximè Prætor.* Quin & Terentium scripsisse credo in Phormione, Act. 2. Sc. 1. *Quamobrem omnes, cùm secundæ res sunt maximè, cummaximè Meditari secum oportet, quo pacto aduersam*

D   *ærum-*

ærumnam ferant. & perperam legi: *tum maximè.* Item Adelph. Act. 4. Sc. 1. vbi aut: *hunc cummaximè operis aliquid facere credo*: legendum, aut simili modo reprehendendum hanc particulam esse, varietas lectionum eo loci argumento mihi est. Et in Hecyrâ Act.4.Sc.4.*atqui cummaximè Volo te dare operam vt fiat, verùm aliâ viâ.*Et hîc impressum est:*tum maximè.* Vsurpat idem Phorm. Act. 1. Sc. 4. *atqui opus est nunc cummaximè.* Sed de vnâ particulâ hæc satis sunt multa.

CAPVT XXIII.

Necopinus.Nec.*Emendatus Papinius,& Val.Flaccus.*



LIAM nunc & breuiorem, quàm præcedenti cap. tractabo particulam, non ingratiis, vti spero, tuis, Lector beniuole. Ita legimus in cusis libris lib.9.Theb.StatI.v.213.

-pre

--premit ille super inopinaque ferro
Colla metens.

Non culpo hanc lectionem, cùm breuem syllabam excuset cæsura. Neque tamen præfero eam alteri, quam erui è mss. *necopinaque*. Idem est *necopinus*, quod *inopinus*. Nec id te moueat quòd copula adpenditur, quæ videbatur implicita particulæ *nec*. Nam & alibi cum copulatiuâ ponitur: vt 6.Theb.

Circuit errantem, & tergo necopinus inhæret.

Eod.lib.v.779.

Aduocat, & manibus necopinum interserit ictum.

Id fidenter addo: particulam NEC non semper duplicem vim habere, vt copulet simul & neget, resoluique possit in *&* *non*: sed negare quandoque tantùm. Testis huius rei Festus in NEC. Cuius verba adscribo: *NEC coniunctionem Grammatici ferè dicunt esse disiunctiuam, vt, nec legit, nec scribit. Cum si diligentiùs inspiciatur, vt fecit Sinnius Capito, intelligi possit eam positam esse ab antiquis pro*

NON: vt & in duodecim est: AST EI CVSTOS NEC ESIT. Item: SI ADORAT FVRTO, QVOD NEC MANIFESTVM ERIT. Et apud Plautum in Phasmate: *Nec rectè si illi dixeris.* Et apud *Turpilium in Demetrio: Nec rectè mihi quod dici iamdudum audio.* Hæc Festus. Vlpia. l. 1. fin. princ. ff. si mensor falſ. mod. *Si autem ex locato conducto fuerit actum, dicendum erit, nec tenere actionem:* Ita Ouidius. *14.* Metam.

> *Néue mihi nec nota tibi sit caussa pudòris.*

Vt ibi & editi libri habent, & mſſ. quibus ſum vſus, inuito Berſmano: qui præfert è duobus mſſ. *non nota:* & æquè elegantem ἰσδυναμίαν exulare iubet. Virg. in Moeri:

> *Nunc victi tristes (quoniam sors omnia versat)*
> *Hos illi (quod nec benè vortat) mittimus hædos.*

Non dubitem igitur locum inter bonas vel ſaltem tolerabiles lectiones dare ei, quam erui ex mſ. 2. de Art.

Nec

Nec ſua nec ſanus ſcripta Poëta legat.

Vbi aliàs: *veſanus*. Initio hæc particula & copulat & negat: poſt negat tantùm. Et diuerſo in ſignificatu, eodem loco, geminari & vocabula & particulas, doceo 1.Miſcell.1.

Eamdem particulam reddendam cenſeo Val. Flacco, 7. Argonaut. his verſibus:

- iuſtas da vocibus aures:
Nec pater ille tuus, tantis me opponere monſtris
Quid meritum? aut tales voluit me pendere pœnas.

Scribendumque:

Quid pater ille tuus tantis me opponere monſtris
Nec meritum, aut tales voluit me pendere pœnas.

Sedes nempe ſuas mutârant initiales duorum verſuum voculæ. *Nec meritus* igitur idem hîc, quod *immeritus*. Et quem ſenſum ſecus elicias?

CAPVT XXIV.

Quò. *Claudianus, Nazarius, & Ouidius correcti.*



T hoc caput dabo vni ex particulis. Corruptè sic editur apud Claud. 3. de Laud. Stilic. v. 77.

Nec solùm populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis: sed quod iucundior esset
Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, & amissas vires & regna recepit.

Emendo suadente sententiâ:

Nec solùm populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis: sed quò iucundior esset
Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ,
Pondus, & amissas vires & regna recepit.

Quo næuo insignitus est & NazarI Panegyricus Constãtino dictus, cap. 9. *Et non dubito, quin hanc rationem cælestis prudentiâ tua duxerit, quod coniunctione sua flagrantissimas hominis cupidi*

piditates vel exstingueret penitùs,vel modicè temperaret. Lego: *quò coniunctione sua flagrantissimas hominis cupiditates vel exstingueret penitùs vel modicè temperaret.*

Simile mendum insedit Epistolam Hypsipyles apud Ouid. in his versibus:

Vota ego persoluam? votis Medea fruetur?
Cor dolet: atque irâ mixtus abundat amor.
Dona feram templis? viuum quod Iasona perdam?
Hostia pro damnis concidet icta meis.

Quos nitori suo restituisse videor: ita lectione & distinctione ordinatâ:

Vota ego persoluam? votis Medea fruetur.
Cor dolet: atque irâ mixtus abundat amor.
Dona feram templis? viuum quò Iasona perdam?
Hostia pro damnis concidet icta meis.

Elegans certè ἀπορία, iuncta suis responsionibus, quas absciderant alterius lectionis auctores. *Quò* verò, in tertio versu,interpretor *cui fini, cuius rei gratiâ*.Cic.7.Ep.23. *Martis verò si-*

gnum quo mihi pacis auctori? Idem 1. Verr. *Primùm quò tantam pecuniam? deinde quamobrem censores ad statuam tibi conferebant?*

Horat.

Quò mihi fortunam, si non conceditur vti.

Persius Sat. 1. v. 24.

Quò didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?

Senec. Ep. 7. *Quò munimenta? Quò artes? Omnia ista mortis moræ sunt.* Vlp. l. 4. pr. ff. si. quis caut. iud. sist. *Dixerit aliquis: Quò ergo hæc exceptio?* Idem l. 26. §. 4. *Ait prætor*: SIVE CVI PER MAGISTRATVS SINE DOLO MALO IPSIVS ACTIO EXEMTA ESSE DICETVR. *Hoc quò?* Tertull. lib. de veland. virg. *Quò ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in Ecclesiâ verò prouulgant?*

CAP.

CAPVT XXV.

Capite sancire. Timere, formidare alicui aliquid. Vber terræ. *Augustinus de Ciu. Dei, & Palladius de re rust. correcti.*

DVO exigam nihili verba ex Augustino. Libro 2. de Ciu. DEI sic editur, cap. 12. *Capite etiam punire sancientes, &c.* Vbi nec ms. quem contuli nec v. edit. agnoscit τὸ *punire*. Abesse igitur iubeo. Sic. Cic. 10. ad Att. Ep. 1. *Solon capite sanxit, si quis in seditione non alterutrius partis fuisset.* Et 4. de Rep. *nostræ XII. tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his quoque hanc sanciendam putauerunt; si quis carmen condidisset, quod infamiam faceret.* 3. de LL. *Vt in suo vitio quisque plectatur, vis capite, auaritia multâ, honoris cupiditas ignominiâ sanciatur.* Idem 3. off. *Erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est.*

Libro 1. Ciu. Dei cap. 9. ita est vulgò:

Plerumque suæ famæ ac saluti consulentes dum insidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione abstinent.

Iterum neque mss. nec v. ed. habet τὸ *consulentes*. Et en! quantò elegantiùs dicitur: *famæ ac saluti suæ insidias timere?* Sic infr. cap. 30. *Timens infirmis animis hostem.* Plin. Paneg. cap. 27. *Nemo iam parens filio suo nisi fragilitatis humanæ vices horret.* Talem phrasin & Palladio reddo, & ex ms. scribo lib. 1. c. 28. *Pauones nutrire facilimum est, nisi eis fures, aut animalia inimica formides.* Abest ab editis τὸ eis.

Sed & hoc in Palladio (mantissam huic capiti) noto: Lib. 1. cap. 6. *Qui arando crudum solum inter sulcos relinquit, suis fructibus derogat, terræ vbertatem infamat.*

Sic quidem non malè vulgatur. Membranæ tamen: *terræ vber infamat.* VBER est fœcunditas, siue, quod hîc substitutum, Vbertas. Virgilius. *Vber glebæ*, & *lætum vber* dixit. Ipse Pallad. cap. seq. *ne bonum naturalis fœcunditatis colentium deprauauerit*

nerit inertia, & in degeneres surculos vber soli feracis expanderit. Et cap.33. *Pratis verò recentibus stercora proficient ad vber herbarum.* Tacit.3.hist. *Vbere agri, annexu connubiisque gentium adoleuit floruitque.* Vbi Pichen.in not.Eumenius in Paneg.10.c.11.*terra tanto frugum vbere, tanto lœta numero pastionum, tot metallorum fluens riuis.*

Seneca in Oedip.vers.156.

Non rura virent vbere glebæ.

Prudent.2.contr.Symm.

Quantos quæque ferat fructus prouincia, quamque
Vbere fæcundo largè fluat orbis opimus.

CAPVT XXVI.

Ouidi versus emendatus.



AMATORIAE artis candidatum in multis instruit Naso. Facundiæ tamen præcepta ipsi præscripturum se negat, lib.1.de Arte:

Non tua sub nostras veniet facūdia leges,
Fac tantùm cupias, sponte disertus eris.

Vbi subesse vitium vix dubitabit

quiſpiam. Quid enim? Si cupiam, ſponte ero diſertus? Non opinor. Ita enim vel mutus diſertus foret apud amaſiam ſuam, vel quiuis ſtipes & caudex: nec opus, vt ne ſermonis deſiat materia, haberet inſulſè quærere: ſi illa veſcatur caſeo, & qui ſimiles ioci in ore vulgi natant. Opitulantur hîc membranæ, ex quibus habe: *Fac tantùm incipias*. Nempe hoc vult: Portam itineris in colloquio cũ ſua inſtituendo eſſe longiſſimam: inque principio cliui hîc anhelare equos: ſuumque hîc, vt alibi, tueri locum, quod apud Salluſt. ait Catilina: Tantummodò incœpto opus eſt: cetera res expediet. Vide hanc in rem Adagia Eraſmi, & ſimilia aliorum loca.

CAPVT XXVII.

Martialis bis emendatus: Ouidius ſemel.



ILIGENTISSIME recenſuit Martialis Epigrammata, ſi quid vnquam aliquis

quis, cl. Gruterus. Nec potuit tamen, pace ipsius dicam, ne *vnum non videre omnia* veriuerbium sit etiamnum. Immeritò litera quædam se ostentat 3.Epigr. 38.

Insanis: omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt tibi, Nasones Virgiliosque vides.

Scribo: *Sunt ibi.* Romæ scilicet. Vbi Sexto certum erat viuere.

Lib. 1.Epigr. in Lupercum:

Contra Cæsaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes vt citò perlegas Poëtas.
Illinc me pete: nec roges Atrectum
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.

Non adsecutus sum hactenus, cur vetet Atrectum bibliopolam rogari: & quomodo non rogatus antè sit daturus. Vulgò antehac editũ fuit: *ne roges Atrectum.* Subdubito, an non fuerit: *me roges Atrectum.* i.e. me, aut poëmata mea ab Atrecto petas: quomodo sæpissimè locutos Latinitatis auctores & pueri nôrunt. Vnum ex Cic. posuisse huc sufficiat: 14. ad Att. Ep. 13.

Meo

Meo iure te hoc beneficium rogo. Eamdem phrasin ex mſ. reduco in Ouid. 3. de Art. Am.

Quid de veste loquar? nec vos segmenta requiro?

Vbi hactenus: *nec iam segmenta requiro.* quod præ altero displicet.

CAPVT XXIIX.

Duo vocabula Adclinis, & Reclinis, *Statio, Claudiano, Valer. Flacco, Glossario vet. Ouidio, Silio, Senecæ, restituta. Explicatus Valeri Flacci locus.* Inclinis.

EGREGIE impoſuerunt librarii lectoribus confuſione duorum vocabulorum *Adclinis* & *Adcliuis*, quando alterum pro altero, maximèque hoc poſterius pro priore obtruſerunt. Significatio vtriuſque patet. *Adcline* enim eſt id, quod in alieno recumbit, origine Græcum, quomodo *clino*, & inde compoſita: *Adcline*, quod in ſpeciem

ciē cliui adſurgit, vti ripam adcliuem dicimus, vti viam, ſemitam, & talia plura. Quæ eadem variatio & in his alteris: *Reclinis* & *Recliuis*: ſæpe bonos auctores euoluenti fit obuiam: cum tamen eodem modo ſignificatio ſit alterius ab altero diuerſa. Indicabo hoc capite quædam loca ab hac maculâ, quod ſciam, nondum libera. Stat.10.Theb.v.275.

Adcliues clypeis alios, vt quemque ligatum
Infelix tellure ſopor, ſupremaque nubes
Obruerat.

Rectè MS.Thuring. *Adclines.* Simili mo mendo contaminatus eſt locus apud eumdem 2.Achill.v. 180.

At ferus Æacides radiantem vt cominus orbem
Cælatum pugnis ſæuis, & fortè rubentem.
Bellorum maculis, adcliuem & conſpicit haſtam,
Infremuit.

Veteris cod. ſcriptura eſt: *adcliuem conſpicit haſtæ.* Propiùs ad verum. Scribo:

bo: *adclinem conspicit hasta.* Clypeus videlicet hastę erat adclinatus: vt & milites vtriusque exercitus apud Virg. XII. Aen. congredientibus Turno & Aeneâ, *Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.* Nec tamen displicet si *adclinem hastam* retinere malis: vt Seneca *reclinem hastam* dixit, loco quem infrà adducam. Rectiùs item, ac vulgò editur, legitur in libris vett. lib. 2. Theb. StatI, v. 578.

Quæ duo sola manu gestans adclinia monti
Fixerat; intorquet iacula.

Et 5. Theb. v. 354.

Oeagrius illic
Adclinis malo medijs intersonat Orpheus
Remigijs.

Et 1. Theb. v. 388.

- ignotaque adclinis postibus aulæ.

Claudianus 4. Consul. HonorI, v. 139.

Adclini genitrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros.

Quantò & hîc emendatiores membranæ: *Adclinis genitrix auro?* Valer. Flacc.

Flacc. 2. Argonaut. de Vulcano è cœlo deiecto:

vox inde repens vt perculit vrbem,
Adcliuem ſcopulo inueniunt, miſerentque fouentque.

Nullum dubium mihi eſt, ſcribi oportere: *Adclinem.* Vtitur eodem vocabulo lib. 1.

- adcliniſque tapetis
In medijs vacuo condit caput Hippaſus auro.

Et lib. 3.

Hanc delapſa polo, piceaque adclinis opaca
Iuno vocat.

Laborat hoc mendo & vetus gloſſarium: *Adclinis.* προσκεκλιμένος: vbi ſimiliter reſcribendum, *Adclinis.* Id eò mihi fit certius, quò propiùs pręceſſit? *Adcliue:* ἐπιῤῥεπῶς ἐπαρθὲν, ὑψηλόν. Adde, quòd idem vult vet. Lex. Græcolat. in quo ita expreſſum: Προσκλίνω, *adclino.* Et inde non longè abeſt alterum. Ita enim vnâ circiter pagellâ præceſſit: προσάντης, *adcliuis, arduus.* Idē error hęret in excerptis gloſſariorum, & legendum: *Adclinis,* προσκλινής.

vbi

vbi eſt: *Adclinis*. Nec primus ſum, qui reducam hoc vocabuli. Fecerunt id ante me alii. Apud Maroné Turneb. 3. Adu. 16. Apud Horat. 2. Sat. 2. Lambinus & Berſmanus. Eſt tamen & vbi *adcline* legimus, quod *adcliue* eſſe debet. Tacit. vit. Agric. c. 35. *Ceteri per adcliue iugum connexi velut inſurgerent, &c.*

Iam ad alterum accedo. Ouid. 10. Metam.

Inque ſinu iuuenis poſitâ ceruice recliuis.
Liber calamo exaratus præſtat: *reclinis* Idem hoc quod *recubans*. quo verbo idem notat Carus, quod altero Ouidius, l. Natural.

Hunc tu Diua tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper, &c.

Præceſſit enim: in gremium, tereti ceruice repoſtâ, fuiſſe reiectum, ne neſcio quid aliud ſuſpiceris. Silius lib. 5. v. 420.

Palantes nam dum ſequitur, peruaſerat altam
In ſiluam, & priſcæ recliuis ab ictibus vlmi.

Terga

Terga tuebatur trunco.

Rescribo: *reclinis*. Seneca Herc. Oet. v. 1640.

-vt ingens nemore sub Nasamonio
Æger recliui pectore admugit leo.

Scribo & hîc adsentientibus membranis Thuringicis, *reclini*. Idem ibidem, v. 1337.

Reclinis ecce corde anhelanti æstuat.

Et Theb. v. 498.

hic ferrum abdidit
Reclinis hasta, & arma defixa adcubant.

Vbi quædam editiones malè: *recliuis*. Valer. Flacc.

Hunc vbi reclinem stratis, & pace fruentem
Adspicit.

Manil. 5. Astr. *niueâ ceruice reclinis.* Sublatus est tandem idem error ex Martiale 9. Epigram. 92. *Sic in gramine floreo reclinis.* Vbi satis diu se ostentauerat *recliuis.*

Addam auctarium huic capiti. Non adeò procliues intellectu, cuiuis opinor hos Val. Flacci versus, 4. Argon.

turbat

turbatque premitque
Ancipitem, crebros & liber congerit ictus
Desuper aduerso, sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis.

Pugnam Amyci & Pollucis describit. Illud, inquam, non omnes intelligere puto, quid sit *omni vulnere vertex inclinis*. Caue accipias, quasi verticem tunc inclinauerit Amycus. *Inclinis* potiùs hîc denotat, qui clinari nequit: quod Græcè ἀκλινὴς efferas. Non potuit Amycus inclinari, antequam vulnus in ceruice acciperet. Quod vocabulum à Scaligero restitutum Manilio I. Astron.

His eadem est via, quæ mundo pariterque rotantur
Inclines, sociosque ortus occasibus æquant.

Vbi eadem eius est significatio. Sed satis iam est operæ his vocabulis nauatæ.

CAP.

CAPVT XXIX.

Calones. *Seruius emendatus.*

INSIGNEM inierit gratiam apud lixas & calones necesse est, quicunque fuit corrumpendis his Serui verbis: pag. 170.

Classis dicta ἀπὸ τῶν κάλων: i. e. à lignis. Vnde & calones dicuntur milites, qui ligna deportant, & καλοπόδια.

Ergone hæc exercitus præsegmina tam digno, & apud veteres in tanto pretio, nomine censenda? an malæ fidei reus faciundus Seruius? Neutrum velim. Tollunt scrupulum tres membranæ, in quibus: *Vnde calones dicuntur, qui militibus ligna deportant.* Totidem ferè verbis Non. Marcellus: *Calonum quoquè proprietas habetur, quod ligna militibus subministrent.* κᾶλα enim *Græci ligna dicunt.* Glossar. vetus: *Calo:* δοῦλος δημόσιος. Aliud: θεράπων ὑπηρέτης στρατιώτου, *Calo.* Isidori glossæ: *Ca-*

lone: ss

lones, galearij militum. Veget.lib.3.cap. 6. *Denique ex ipsis calonibus, quos galerios vocant, &c.* & alibi. Miniſtrârunt ergo militibus, ipſi quiduis potiùs quàm milites.

Sed & alium Serui locum huic iungam: pag. 271.

Et amat Virgilius declinationes Græcas ſaluâ reuerentiâ in Latinas conuertere ei, Græcam diphthongum in e, longam mutans.

Quaſi verò aliquid turpe vel dicatur vel fiat, vt tritâ illâ veniam præfandi formulâ ſit opus. Elapſa eſt vox, quam in mſſ. ſum redeptus: *ſaluâ regulæ reuerentiâ.*

CAPVT XXX.

Seneca in Agamemnone ſemel correctus.

GENVINAM & probam non eſſe lectionem ipſe ſententiæ languor prodit, in Sen. Agamemn. verſ. 953.

CL. Quis

CL. Quis esse credat virginem? EL. Gnatam tuam.

CL. Modestiùs cum matre. EL. Pietatem doces.

Animat liber scriptus versum priorem interrogatione: *Gnatam tuam?* In posteriore verba Electræ in omnibus Palatinis ita legi Gruterus testatur: *Eia tandem doces.* Quod ipsi per sarcasmum lepidè dictum videtur. Et mihi videretur, si versui sit consultum. Veram, nec minùs lepidam sententiam vnâ in similem mutatâ literâ, ex mſ. adfero: *Pia tandem doces.* Salsa hæc est ironia, quùm matrem post tot patrata facinora filiam ad modestiam vocantem *piam tandem appellat.* Ex hoc corrupta vox hunc locum occupauit: *pietatem:* quæ sententiam reddit planè frigidã. Nisi fortè capiundum hoc putes, vt illud Simonis apud Terent. Andr. Act. 5. Scen. 2. *Pietatem gnati! nonne te miseret mei?* Quod si placet, post vocem *pietatem* admirationis nota locanda est, & *doces* absolutè accipiendum.

CAP.

CAPVT XXXI.

Ouidius corrigitur. Magna dies.

TVRBATISSIMVS locus est apud Ouidium libr. 3. Eleg. 9.

Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Et Linon in siluis idem pater, abditus altis
Dicitur inuictâ concinuisse lyrâ.

In duob. posterioribus versibus quam varient libri, notauit Bersmanus. Præter adscriptas ab eo variationes, meus liber pro *abditus* repetebat *&* *Linon.* Ego, quidquid alii dicant, omnes ad oram à Bersmano destitutas lectiones reuocauerim in contextum, atque ita distinxerim:

Et Linus in siluis (idem pater edidit) altis
Dicitur in vitâ conticuisse lyrâ.

Idem huic cum Orpheo pater Apollo: vi

lo: vide Virgil. in Pollione. Id igitur dicit: Nihil profuisse Orpheo, nihil Lino, Apollinis esse genus, Poëtasque insignes, quo minùs essent mortis telis expositi. Adfectum inanimæ rei tribuit in his: *inuitâ lyrâ:* vti Virgil. in Sileno:

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas, iussitque ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles:
Cogere donec oues stabulis, numerumque referre
Iussit, & inuito processit vesper Olympo.

En vt illic inuitâ lyrâ conticuit, ita hîc inuito Olympo. Corrupta distinctio sine omni dubio corrupit & verba. Id quod sæpe accidit bonis auctoribus. Memorabile eius rei exemplum exstat in editionibus natu maioribus apud Cicer. 2. ad Q. Fr. Epist. 14. Vbi se quadrigis Poëticis instituturum minatur. Quod si euoluere fueris dignatus, non mirum tibi erit, τὸ προσδυόμενον istud ex parenthesi & hoc loco irrepsisse: *patrem inuitâ lyrâ concinuisse Linon.*

E. Eleg.

Eleg. ad.
*Hunc quoquè summa dies nigro submer-
sit auerno.*
Scriptus liber: *magna dies.* Optimè. Magna dies, quâ longum aliquod periculum aut negotium finitur: vt sol magnus, qui vergit. Tacitus in vitâ Agric. *Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem.* Quem locum notat Meurs. 4. miscell. 8. & Turneb. 2. Aduers. 24. Alciat. 8. Magna igitur hîc dies, quæ vitam terminat.

CAPVT XXXII.

Gerundia cum casu verbi. Facies ciuitatis. *Seneca & Cassiodorus solicitati.*


VALDE variat contextus Senecæ Episto. 104. ad Lucil.
In primis autem respuendæ sunt voluptates: eneruant & effeminant: & multum petunt, multum autem a fortuna peten

petendum est. Deinde spernendæ opes, auctoramenta sunt seruitutum.
Indice Grutero, manuscriptorum vnus habet: *restiuendæ voluptates: eneru.* alius: *destituendæ volupt.* alius: *destituendum volupt. quæ eneru.* alius item, *restringendæ* vel *restinguendæ* Nec maior concordia est in illis: *Deinde spernendæ.* Vbi legas; *sperante, sperate, sperandæ, sperant deinde sperate.* Tertii Palatini lectionem, quà priorem diuersitatem veræ proximam, & ita legendum puto: *destituendum voluptates, eneruant & effeminant.* Eleganter ita Gerundiis vsi ad Græcorum exemplum Latinitatis auctores. Virgil. *pacem Troiano ab rege petendum.*
Pacuuius:

Nam istos, qui linguam auium intelligunt,
Plusque ex alieno iecore sapiunt, quàm suo,
Magis audiundum quàm auscultandum puto.

IC. Paulus in l. 45. vers. sed permittendum. ff. solut. matri. *Sed permittendum est nepti ex hac auitâ conuentione, ne commodo dotis defrudetur, vtilem actionem.*

Vti & Lucretius, Cic. Varro, alij, loqui amârunt. Exempla vide in Gifan. ind. Lucret. Auguſt. Saturnl Mercur. maiore li. 7. c. 12. Schopp. 3. veriſ. 3. Atque huius elegantiæ ignorantia adeò hoc loco tumultuata fuit in chirographis. Nec, opinor, minùs in ſubſequis: vbi valde procliuus ſum, vti ſcribam: *Deinde ſpernendum opes.* Mouet me inconſtantia librorum, falſorum teſtium nota, & index ſubfuiſſe aliquid quod fugerit librarios. Idque vt ſubſiſtat, inter hæc & ſequentia aliquem pono limitem: *Deinde ſpernendum opes, auctoramẽta ſunt ſeruitutum.* Ita poſteriora verba prioribus ſubiicientur, quemadmodum paullò ſuperiùs *eneruant* & ſeqq. præcedentibus. Loquitur ad hunc modum & alibi Seneca 1. Ep. 18. ſub princip. *Vtrùm nihil ex quotidiana conſuetudine mouendum, an, ne diſſidere videremur cum publicis moribus & hilariùs cœnandum, & exuendum togam.* Vbi tamen, credo operarum peccato, excuſum *exuendam.* Lib. 1. de benef. 1. *Quia non opus eſt ad liberandum fidẽ facultatibus.*

Viſa

Viſa mihi eſt ſimilis elegantia eiecta ex Caſſiodoro 8.var.33.

Vt qui ad natale ſancti Cypriani religioſiſſimè venerant peragendum, mercimoniiſque ſuis faciem ciuilitatis ornare, egentes turpiter, inaneſque diſcederent.

Primò dico legendum *faciem ciuitatis.* Ita 7. Var. 44. *Quatenus boni ciuis laudem inuenire merearis, ſi faciem tuæ ciuitatis ornaueris.* 8. Var. 31. *Maximè cognouiſti literis eruditus, pulcram eſſe faciem ciuitatum, quæ populorum probantur habere conuentum.* Cic. pro Flac. *Fateantur in Meandri perſonâ expreſſam eſſe faciem ciuitatis.* Salluſt. Catil. cap. 31. *Quibus rebus permota ciuitas, atque immutata facies vrbis erat.* Seneca 7. benef. 27. *Si tibi vitæ noſtræ imago ſuccurret, videberis tibi videre captæ cummaximè ciuitatis faciem, &c.* Adde l. 6. C. de operib. publ. Pòſt, vt ad rem veniam, legere malo *ornandum:* ad quod (quia genus pugnare videbatur τῷ *faciem*) forſan lector quidam adiecit *ornare*, tamquam *ad ornandum faciem*, reſolui poſſit, *ad ornare faciem:*

ne aliusle&ctor induceretur, peccatum, ſcilicet, in principem ſyntaxeos regulam. Aliter vix ſibi locus cohærebit.

CAPVT XXXIII.

Coniectura in Sariſberienſis Policratico. Recidiua pecunia.



EMINI me ſuprà hoc libello commendare Policraticum Sariſberienſis. Nunc non tempero mihi ne vnum adhuc ex ipſo delibem. Ita legimus lib. 3. cap. 13.

Sic minutiſſimis, dum frequentibus ac continuis, ſumtibus ampliſſimæ exhauriuntur opes; & breuium ſubtractione minutiarum maxima hereditas expilatur: niſi fortè prodigus pecuniam inueniat rediuiuam.

Placet eleganti translatione ſcribere: *pecuniam inueniat recidiuam.* Iuuenalis ita Sat. 7. verſ. 36.

At velut exhauſtâ recidiuus pullulet arcâ

Num

Nummus, & è pleno semper tollatur aceruo.

Translatio ab arboribus repullulantibus. Isidorus: *Recidiua arborum sunt, quæ alijs sectis repullulant.* Vtitur noster & lib. 8. c. 7. pag. 78. *fortè veritus seditionem, & ciuilis belli recidiuam passionem.* Recidiua Pergama habes apud Virgil. Senec. Trag. Silium, alios. Recidiuam vitam, apud Tertull. sæpiùs. Qui & excogitauit vocabulum *recidiuatus*, in De resurrect. carnis.

CAPVT XXXIV.

Coniectura in Panegyrico Eumeni. Adambulo.


MONSTRVM verbi se ostentat Panegyr. 9. cap. 15. *Quid oro sibi voluit? quid optauit? aut quid amplius adipisceretur his, quæ à te fuerat consecutus? Cui tu summa & diuersissima bona, priuatum otium, & regias opes, dederas, cui digredienti ad annula * fœderas, cui impensiùs etiam*

quàm tibi occurrere obſequia noſtra mandaueras,&c.

Quis hîc non acumen ſuum fuit expertus? Alius: *ad anulos ſederas*: alius: *ad anulos hæſeras*: alius: *ad mulos*: alius: *anulos dederas*: alius *adambulo hæſeras*, legendum: alius loci nomen, ad quem Conſtantinus Herculiuim digredientem in Galliam Narbonenſem pro officio comitatus ſit, excidiſſe putat. Merebitur & noſtra coniectura veniam. Id monſtri, *ad annula fœderas*, natum mihi videtur, ex hoc verbo, *adambulaſeras*: quod ſcribi debuerat, *adambulaueras*. Emendatio, vt vides, niſi quod ſyllabam de iuguiat, eſt leuiſſima.

CAPVT XXXV.

Meum abſentis nomen ſuo ſolius periculo: *& ſimiles formulæ. Cicero ter, ſemel Salluſt. emendati.*


ELEGANTIARVM ſtudioſis rem non ingratam facturum me ſpero, ſi vnam, quam

quam excidisse deprehendi, quamuis leuem & breuem, elegantiam vno atque altero Cic. loco ex ms. reducam.

Pro Planco:

Etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se vulgò viri boni, cum hic tribunatum peteret, vltrò offerebant: cui nomen meum honori fuisset, ei meas præsentes preces non putas profuisse?

Elapsa vox reponenda est ex ms. *cui meum nomen absentis honori fuisset, &c. Meum absentis nomen* probissimè dictum, & memini me videre ab alio comportata exempla eiusdem locutionis. Poscit hanc vocem id, quod sequitur, *præsentes.* Sed forte & hoc posterius aliam induit faciem, fuitque olim: *meas præsentis preces.* Eiusdem farinæ sunt duo in 4. Catil. loca. Alter sub principium:

Qui ad vrbis incendium, ad vestrûm omnium Cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ restiterunt.

MS. *ad vestram omnium cædem.* Alter in fine:

Si eius, qui hæc omnia suo solus periculo

conseruauerit; illum esse filium memineritis.

MS. *suo solius periculo.* Ita alibi, contra Vatin. *Ciuitatis salutem cum meâ vnius salute coniunctam.* In Pisonẽ: *Ad meam vnius salutem Senatus auxilium omnium ciuium cunctâ ex Italiâ, qui Remp. saluam esse vellent, consulis voce & literis implorandum putauit.* XI. ad Att. 15. *Quò minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere. Solius enim meum peccatum corrigi non potest.* Terent. Heaut. act. 1. sc. 1. *Hem tot meâ solius solliciti sunt caussâ.* Eumen. Paneg. 9. cap. 15. *Felix, beatusque verè, quem vestra tantorum principum colunt obsequia priuatum.* Ex Iugurthâ Sallusti similem exidisse formulam planè mihi persuadeo, c. 77. Leptitanorum legati referunt Romæ: *Hamilcarem quẽdam, hominem nobilem, factiosum, nouis rebus studere, aduersùm quem neque imperia Magistratuum, neque leges valerẽt: ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore.* Alii libri: *& illorum socios.* Alii: *illorum sociorum.* Quouis pignore contendere ausim, scriptum

ptum fuisse: *in summo periculo suam sociorum salutẽ fore.* Ipsi enim Leptitani periculum metuebant: Ipsi erant sociiRomanorum, vti mox sequitur. Ad hanc faciem locutus est Seneca 5. de benef. cap. 15. *Nec est quòd hanc tantùm nostram murmurationem putes, pro pessimo pravoque numerantium, quidquid citra recti formulam cecidit.* Negat quidem doctiss. Gruterus τὸ *numerantium* habere quò referatur: ideoque legere malit *nostrûm murm.* Mihi verò rectissimẽ dictum: *nostram pro pessimo pravoque numerantium murmurationem.*

Prælum iam expectabant hæ schedæ cùm commodùm incidi in cl. Casauboni commentaria, quîs Persi Satiras explicat. Malit is Sati. 5. vers. 40. legere:

Artificisque tuo ducat sub pollice vultum.

Additque ibi: *Ignoratio huius Latinitatis,* ducit vultum sub tuo artificis pollice: *corrupit hunc locum. Sic autem sæpissime Cicero, & omnes veteres. In Epist. ad Paulum Cos.* me consulem tuum

ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe. *M. Cato Ciceroni*: tuam virtutem cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris. *Liuius*: vt noſter duorum euentus oſtendit. *Alibi*: noſtro duorum euentu: Ita Græci. Homerus

Δαὴρ αὖτ', ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος.

Sophocles: τἀμὰ δυστήνου κακά. Hæc doctiſſ. Caſaub. quæ huc tranſcripta à me: quia correctionem noſtram firmiter roborant.

CAPVT XXXVI.

Tenuia *triſyllabum, alio, quàm vulgo notum, modo.* Solare. *Ter emendatus Papinius.*

QVI in recenſendis veterum ſcriptis ſudat, ille cum primis obſeruet fas eſt τὸ ἦθος, cuiuſuis, & loquendi modum. ita enim nec facilè aliena, & contra auctoris morem dicta ſubrepent: & genuina, licet non ex mente & ad normam aliorum poſita, quæ fors aufugerunt,

gerunt, reducentur. Posterioris praxin ecce nunc! Statius 5.Theb.v.607.

Rapta cutis tenera ossa patent, nexusque madentes
Sanguinis imbre noui.

MSS.Noricus & Thuringicus: *tenuia ossa patent.* Quod ad primum adspectum videbatur non recipiendum, propter syllabæ abundantiam. Secùs, si consideret alia loca, in quibus eodem modo contrahit hoc vocabulum.Libr.1.Silu.in Soter.pro Rutil. Gall.v.39.*Sperne coli tenuiore lyrâ.*Et 6. Theb.v. 196.*Obnubit tenuia ora comis.* 12.Theb.princip.

Nondum cuncta polo vigil inclinauerat astra
Ortus, & instantem cornu tenuiore videbat
Luna diem.

Quibus locis adductus & alibi mẽbranarum lectionem præfero impressæ:4.Theb.v.697.

Dixerat, ast illi tenuis percurrere visus
Ora situs, viridisque comis exhorruit humor.

Liber Thuringicus: *tenuior percurrere visus*

visus. Præterea ex eodem & Norico legi debet *illis*. Nymphas enim intelligit: illas situ fuisse obductas, & humorem abiisse, postquam Bacchus ab iis rogauit, vt cuncta siti exhausta siccarent. Neque etiam placet istud *exhorruit*, & emendo *exaruit*. eò magis, quòd librorum est quidam hoc loco dissensus, & sunt qui habeant *euanuit*.

[Ita d apice n esse in MS Palatino 6. indicio pòst mihi fuit cl. Grutetus, qui contulit]

Sed vt ad illam syllabarum contractionem redeam, similem habemus apud Lucret. vbi eędem vocales coalescunt, in vocibus *aliud*, & *initium*: quod vide in Gif. Indice.

Sed aliud nunc promo in quo similiter videas praxin istius præcepti. Statius 4. Theb. v. 36.

- *quæ mouerit arma Gradiuus, quantas populis spoliauerit urbes.*

Noricus liber: *solauerit urbes*. Quod verbum licet nullibi extra Papinium mihi, quod meminerim, visum, omninò probo. Vtitur eodem idem 5.

Theb.

Theb. v. 149.

-furor omnibus idem,
Idem animus solare domos.

Qui locus firmus est emendationis huius tibicen.

CAPVT XXXVII.

Supponere mare. Multa, pro multùm, & *similia. Vulgata lectio in Val. Flacco defensa. Explicatus idem.*



NDIGNE fero à Lud. Carrione mutata esse Argonautarum, sibi & temeritati suæ insultantium, verba 1. Argon. Val. Flacci, v. 632. & ita ex v. c. edita:

Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes?
Tristius an superest miseris mare? linquite terræ
Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus.

Nihil elegantius est his versibus, vti in Aldinâ editione leguntur:

linqui

-linquite terræ

Spem pelagi sacrosque iterum supponite
fluctus.

Cui cerebrum non est in calcaneis, is facilè lupinis æra discreuerit. Reuerà sibimet ipsi maledicunt, quòd temerario ausu primi æquor sint ingressi. Similimus apud Iuuenalem locus est: Sat.12.

I nunc & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Et apud Senecam Med.v. 650.

Ite nunc fortes, perarate pontum
Sorte timenda.

Supponere fluctus, elegantissimè dictum: vt Iuuenal.Sat.10.

cum stratum classibus iisdem
Suppositumque rotis mare.

Confine ei est, quod dixit Ouid.Epist. Hypsip.

Cærula propulsæ subducitur vnda carinæ.

Friget valdè quod ex v.c. Carrio reposuit.

Eodem libro obscurus est locus vers.758.

-quàm multa leo cunctatus in artâ
Mole

Mole virûm, rictuque genas & lumina pressit.

Gifanius indice Lucret. in *Incedere*, explicat, *Quàm sæpe*. Bene. Propiùs, quamuis idem sit sensus, ego per *multùm*. Ita Virgilius 4. Æn. *Multa reluctantem*. pro *multùm*. Statius non dissimili modo, 2. Theb. v. 242. *non vnquam longa tuendo Expedias*. Tertull. lib. de patient sub init. *Bonum eius etiam qui cæca viuunt, summæ virtutis appellatione honorent*. Vbi hæc notat Renatus Laurentius: *Hîc elegantiam Græcam adfectat, nam solent illi aduerbia pluratiuè nominum instar vsurpare. Expone ergo* cæca *pro* cæcè. *Non prorsus dissimilis apud Cyprianum locutio est, quùm inquit lib. de bono patientiæ*: Qui non loquimur magna, sed viuimus. *Simile est Lucretianum illud:* Acerba tuens: *pro* acerbè. Hæc Renat. Laurentius. In vulgus nota sunt hæc: *Altum sapere, toruum tueri*, & similia. Quis simile illud PersI Sat. 1. v. 90. *verum, nec nocte paratum plorare*. Sed plana sunt hæc. Desino.

CAP.

CAPVT XXXIIX.

Presso. *Mos vetus amplectendi suorum sepulcra. Ouidius correctus.*

LIBRO XIII. Metam. Ouidi legimus:

In medijs Hecube natorum inuenta sepulcris
Prensantem tumulos, atque ossibus oscula dantem, &c.

Placet, quod scriptus liber exhibet: *Pressantem tumulos.* Verbum Nasoni aliisque non peregrinum. Infrà libr. 15. *Vbera dent saturæ manibus pressanda capellæ.* Lucret. 4. Natur. *pressantes dentibus ora.* Virg. 3. Æn.

Lanigeras claudit pecudes, atque vbera pressat.

Mos frequens priscorum tangitur amplectendi suorum tumulos. Prudent. Peristeph. hym. 2.

O ter quaterque & septies
Beatus vrbis incola,
Qui te ac tuorum cominus

Sedem

Sedem celebrat ossium!
Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Ecce & hic de pectore in terram presso mentio: Leo Nouell. 3. *Quorum* (amicos & cognatos innuit) *dolori atque orbitati magnum solatium est, si amici sui sepulcrum amplexari, ac in id lacrimas perfundere possint.*

CAPVT XXXIX.

Coniectura in Tacito. Siphon.

INSIGNIS, nisi me animus fallit, macula turpat hunc Taciti locum, XV. Annal. cap. 43. vbi de restauratione vrbis igni sub Nerone haustæ:

Iam aqua priuatorum licentiâ intercepta quò largior & pluribus locis in publicum flueret, custodes: & subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet, nec communione parietum,

tum, sed propriis quæque muris ambirentur.

Credámne ego quemlibet custodes in propatulo (vnà cum aliis subsidiis) habere debuisse? Et huic fini, vt largior in publicum flueret vnda? Minimè verò. Coniiciebam igitur: *siphones, & subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet.* Siphones enim exstinguendis incendiis habiti. Plin. ad Trai. *Nullus vnquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum incendiis compescendis.* Hesychius: Σίφων, ὄργανον εἰς πρόεσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. Vlpianus in l. 12. §. 18. ff. de instruct. vel instr. leg. *Acetū quoquè, quod exstinguendi incendii caussâ paratur, item centones, siphones, perticæ quoquè & scalæ, &c.* vbi pariter turbauerat hæc vox, & *funes* se intruserant: vide editt. Pandectarum, præter Florentini Cod. traduces. Similes turbas eadem dedit in fragmento Lucil. 4. Sat. quod ex Ios. Scaligeri, & Fr. IunI restitutione ita habet:

-sit quibus vinum

De

Desusum è pleno, hir, siphon cui neque dempsit,
Vim nec sacculus abstulerit, ludos adhibentes.

Quo de vbertim Fr. Dousa, in notis. Id igitur inter alia voluit Nero: vt aqua pluribus locis flueret in publico: vt siphones aliaque in propatulo haberentur: vt suis, nec communibus, ædificia cingerentur parietibus.

CAPVT XL.

Feliciter amantes DIs se æquant. Plauti locus in Amphitryone explicatus. Res, *insignificatu occulto. Ouidius correctus.*



VT sæpe vel minima turbant! breuissima etiam distinctionum errata. Quale occupauit Elegiam 6. OuidI libro 2.

Viue, Deus posito si quis mihi dicat amore,
Deprecer, vsque adeò dulce puella malum est.

Possis

Poſſis accipere: Si quis Deorum me ab amore, cui quaſi immortuus ſum, ad vitam reducat: vt in ſimili loquitur Seneca 7. de benef. 6. *Demetrio ſi res noſtras aliquis Deorum poſſidendas velit tradere ſub lege certâ, &c.* Et Mamert. Paneg. xi. cap. 13. *Si hos Deus paullisper vita redditos alloquatur: Heus (verbi gratiâ) Nepotiane.* Et Cicero de Senect. in fin. *Quod ſi quis Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valdè recuſem: nec verò velim quaſi decurſo ſpacio, à calce ad carceres reuocari.* Rectiùs tamen feceris, ſi mecum diſtinxeris:

Viue Deus, poſito ſi quis mihi dicat amore.

Adeò enim dulce puella malum eſt, vt cum DIs ex pari ſe viuere putent, qui feliciter amant: immò DIs ipſis de felicitate moueãt controuerſiam. Neque aliter loquens introducitur iuuenis in ſuauiſſimo Muſæi de Hero & Leandro Poëmate:

αἰ, αἴ! ἐγὼ κατ' ὄλυμπον ἐφιμείρων, θεὸς εἶναι,

ἡμετέρην παράκοιτιν ἔχων ἐνὶ δώμασιν ἥρως.

Circe quoque apud Arbitrum mellitissimis verbis ad Polyænum: *Non sum quidem Solis progenies: nec mea mater, dum placet, labentis mundi cursum detinuit. Habeo tamen quod cælo imputem si nos fata coniunxerint.* Estque celebre illud Ruphini distichon:

εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρὶς ὄλβιος ὅς τις ἀκούει,
ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Multa huiusmodi videas in elegiis Propertij, quæ nunc non exscribo. Lucem ex his capit vulgata lectio apud Plautum in Amphitr. Scen. Bene Vale:

Ædepol ne illa, nisi fictis rebus te sciet operam dare,
Ego faxim te Amphitryonem esse malis quam Iouem.

Illa hic referendum est ad Alcumenam, vt sensus sit: Nisi senserit te fictum esse Amphitryonem, faxo tam bene accipiaris, atque in amore te oblectes, vt Amphitryo esse malis, quã

Iupiter. Fictæ res scies quæ sint, si docente Scaligero ad Priapeia, pag. 101. ex triplici Arnobi loco didiceris vocabulum hoc vsurpari ad denotandum id, quod in seriis non appellamus.

CAPVT XLI.

Liuor non possit carpere. Frena retentare. Destituere, *pro* statuere. *Ter Ouidius 3. de Ponto correctus: semel Cicero.*

ET hoc caput Nasoni imputabo, inque eo ope veterum membranarum medicinam faciam tribus locis in 3. de Ponto. Eleg. 1.

Nec te si cupiat lædere rumor habet. Membranæ: *si cupiat lædere liuor habet.* Quod prouerbium sapit: esse constitutum extra Momorum reprehensionem: siue esse ἀμώμητον, ἀδιάβλητον, *inculpabilem.* Ita ferè noster de formâ

Ado

Adonidis: *Laudaret faciem liuor quoquè.* Et de Ariadnes telâ, 6. Met.

Non illud Pallás, non illud carpere liuor
Possit opus.

Aristænetus 1. Epist. 1. οὕτως οὖν τὴν ἐμὴν ὡραϊζομένην καὶ τρυφῶσαν ὑπὸ πλούτου τῆς εὐπρεπείας, οὐδ' ἂν ὁ μῶμος ἐν ἐλαχίστῳ μωμήσαιτο. Idem Epist. 12. ταύτης ὁ μῶμος ἀποσφαλεὶς ἄχθεται καὶ στένει καὶ ἀπορεῖ. Sarisberiensis 6. Nug. Curial. 18. de Britanniarum Rege: *Quàm strenuus, quàm magnificus, quàm prudens, quam modestus ab ipsâ, ut ita dicam, infantiâ fuerit, nec ipse liuor silere aut dissimulare potest.* Adde Erasm. Adag. Chiliad. 1. Cent. 1. prou. 74.

Eleg. 9.

Sic animum lento curarum frigore lædit,
Vt cupidi si quis frena retentat equi.

MS. Bersmani: *Cursor frena retorquet equi.* Aliæ editiones: *cursus frena retentat equi.* Quod adsensu msf. mei confirmatur: cui aliquis ad oram adnotârat, hypallagen aliquã hîc subesse. Scitissimè. Nempe: *cursus retentat frena*: pro: *frena retentant cursum.* Quæ non intellecta mutandi præbuit ansam in-

doctis scribis. *Retentare frena*, vsitatissima aliàs phrasis: 1. de Art.

Adspice vt in curru modò det fluitantia rector
Lora: modò admissos arte retentet equos.

2. Am. 9.
spumantia frustra
Frena retentantem.

Silius lib. 4. v. 211. *tremulo conatu lora retentat*. Sed planum hoc.
Elegiâ eâd. paullò pòst:

Atque ita Dî mites minuant mihi Cæsaris iram,
Ossaque pacatâ nostra tegantur humo.

Ms. *Destituantur humo.* quod præfero: de alterâ tantum significatione huius verbi, quando idem quod *careo* significat, constitit fors librario, ideoque mutauit: quod videret illam hoc loco esse discongruam. Eâ enim acceptâ deprecatus fuisset Naso ossibus suis terram pacatam. Sed Nonium lectum oportebat, qui ita de hoc verbo notat: *Destitui, statui. Næuius Gymnast.: In alto nauem iubet destitui anchoris: Cæcilius Symbolo: Destituit omnes seruos ad mensam ante se.* Lu-

can.lib.6.

jam vos ego nomine vero
Eliciam: Stygiasque canes in luce supernâ
Destituam.

Vtitur & Ouidius alibi hoc modo. 3. Fast.

In siccâ pueri destituantur humo.

Epist. Canaces:

Iamque dari paruum canibusque auibus-
que nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.

Stipites destitui vides apud Festum in *Stipatores.* Ad quem locũ ita notatur in editione Romanâ: *Non video cur* destituantur *mutandum sit in* constituantur. *nam C. Gracchus in oratione de LL. promulgatis apud Agell. 10. c. 3. vsus est eo verbo in eodem significatu, cum inquit: Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suæ ciuitatis nobilissimus homo M. Marius, vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Et Varro: Si eorum colla in furcas destituutas incluserit.* Amisimus, opinor, hoc verbum & ex Cicerone, qui pro Syllâ in fine sic loquitur; *Vos & rejectione interpositâ nihil suspicantibus nobis repentini in nos iudi-*

ces consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis, à fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti. Pro vltimâ enim voce mſ. Thur. habet: *destituti.* Quo recepto, similis fiet compositio τοῦ delecti.

CAPVT XLII.

Oratio Solis ad Iouem apud Val. Flac. excussa. Res pro hominibus & gestis. Rudis rerum. Cognatæ terræ.



VALDE turpata est Oratio Solis ad Iouem I. Argon. Val. Flacci, quam ab vnâ alterâque maculâ hoc capite visum est liberare. Tota illa sic editur:

Summe sator, cui nostra dies voluentibus annis
Tot peragit reficitque vices: tuane ista voluntas,
Grataque nunc vndis duce te, nutuque secundo
It ratis? an meritos fas est mihi rumpere questus
Hoc metuens, & ne qua foret manus inuida nato,
Non mediae telluris opes, non improba legi
Diuitiis arua plagae: teneant vberrima Teucer,
Et

Et Lybis, & vestri Pelopis domus: horrida sæuo
Quæ premis arua gelu, strictosque in sedibus amnes,
Cederet his etiam, & sese sine honore referret
Vlteriùs, sed nube rigens, ac nescia regum
Stat super, & nostros iam zona reuerberat igne,
Quid regio immanis, quid barbarus amnibus illis
Phasis; & aduersis proles mea gentibus obstat?
Quid Minyæ meruêre, querimur, vellere Graio,
Vt potitur? profugo quum agmina iungere Phryxo
Annuit, Inoas vltro nec venit ad aras:
Imperij sed parte virum, natæque moratus
Coniugio, videt è gratâ nunc stirpe nepotes:
Et generos vocat, & iunctas sibi sanguine terras.
Flecte ratem, motusque pater: nec vulnere nostro
Aequora pande viris: veteris sat conscia luctus
Silua Padi, & viso flentes genitore sorores.

Illud potissimum est, quod emendandum videtur:

-horrida sæuo
Quæ premis arua gelu, strictosque in sedibus amnes.
Cederet his etiam, & sese sine honore referret
Vlteriùs, &c.

Mens Poëtæ est: Ne qua inuidia oreretur, non occupaui loca amœna & opima. Habitent illa alii. Meum genus horridam insedit regionem, & amnes frigore concretos. Quin & his cederet, nisi terra restaret nulli habi-

tata. Malim etiam cum Aldinâ editione, in contiguè sequentibus:

- sed nube rigens, ac nescia rerum
Stat super.

Quod possis capere: *nescia hominum, nulli habitata.* Quomodo illud vocabulum Persio vsurpatum Sat. 5. v. 102.

Nauem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis: exclamet Melicerta, perisse
Frontem de rebus.

Aut, si malis, per *rerum* vocabulum, gesta siue τὰ πραττόμενα possis intelligere. Quomodo passim noster. Vt lib. eod. vers. 101.

primæ seu quos in flore iuuentæ
Tentamenta tenent, nec dum data copia rerum.

Paullóque antè:

Poscere quos reuehat, rebusque in secula tollat.

Et versu 813.

- primoque rudem sub limine rerum
Te puer.

Ex quo loco mutuor robur constanti omnium editionum lectioni vers. 771. lib. eod.

Est

Est etiam ante oculos rerum rudis altera proles,
Ingentes animos & fortia discere facta
Quem velit,&c.

Vbi dissidet codex Carrionis,qui: *eni rudis*: Simile obseruatum nobis dissidium librorum apud Statium, 4. Theb.v. 247.

Tu quoquè Parrhasias ignarâ matre cateruas,
Ah rudis armorum (tantum noua gloria suadet)
Parthenopae rapis.

Thuringicus &Noricus liber *annorũ.* quibus accedit lib.Comelini,&vnus ex Palatinis:tum nota Luctatl interpretis: Ab alterâ stant omnes editiones & 5. libri Palatini, aliusque insuper Goldasti.Rerũ vocabulo ita Persius vsus mihi videbatur, initio Sat.1.

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane.

Nempe in studiis & actionibus hominum. Nisi quod nunc video doctiss. Casaub.aliter exponere.Contra quem Semonem ego ne quidé hisco. At pergo in nostrâ Solis oratione.

Adſtipuler & hîc Aldinæ editioni:

- quid barbarus amnibus vllis
Phaſis, ant aduerſis proles mea gentibus obſtat.

Nam qui ſint illi *amnes*, quos habet Carrionis editio, nõdum video. Phaſin vero & amnes alios, dixit pro Scythis & aliis populis, celebri metonymiâ.

Ampliùs: Et hîc Áldina editio abit:

- videt è Graiâ nunc ſtirpe nepotes
Grajorumque vocat junctas ſibi ſanguine terras.

Quod non improbem. Obſcurum aliàs, quinam ſint generi, quæue vocẽtur terræ ſanguine coniunctæ. Coniunctás ſanguine terras vocat, vt Aug. 3. de Ciuit. Dei. c. 7. *Deſeruerint Dî adulteros, Iliumque flammis Græcorũ reliquerint, vt ex eius cineribus Roma caſtior naſceretur, cur & poſtea deſeruerunt eamdem ciuitatem Romanis cognatam, non rebellantem aduerſus Romam.* Vide quæ de ciuitate matre, & filiâ noto 4. Miſcell. 3.

CAPVT XLIII.

Crassum mendum ex 6. Thebaid. StatI exstirpatum. Idem in 12. emendatus, & alicubi Cicero. Cœptus.



T sæpe vel minima diligentissimorum etiam fugiunt oculos & stylum. Ecce enim hos versus 6. Thebaid. PapinI: v. 651.

- mox turba ruunt duo gentis Achææ
Tres Ephireiadæ, Pisâ satus vnus, Acarnã
Septimus, & plures agitabat gloria Nisæ.
Arduus Hippomedon caueâ stimulante dedisset
In medios, lateque ferẽs sub pectore dextro
Orbem alium.

Quis ille Mopsus, qui Nisam hîc suã nobis obtrusit? Enorme certè hoc est mendum, & quod subodorabar antequam expenderem scriptorum librorum lectionem. Cuiuis, absque illis etiam sit, veram lectionem diuina-

re procliui magis, quàm, cùm pluit, imber:

> - *& plures agitabat gloria, ni se*
> *Arduus Hippomedum caucâ stimu-lante tulisset*
> *In medios.*

Quomodo magnus quoquè Scaliger in suâ citat Poëticâ. Augendo in iustum modum capiti addam alium locum ex 12. Theb. v. 63. Vbi Theseus vlturus immanitatem Creontis, quòd vetabat sepeliri Argiuos, ita suos alloquitur:

> - *dignas insumite mentes*
> *Cœptis. hac omnem diuûmque hominumque fauorem*
> *Naturamque ducem, cœtusque silentis Auerni*
> *Stare palam est, illic pœnarum exercita Thebis*
> *Agmina, & anguicomæ ducunt vexilla sorores.*

Duobus locis aliter in his versibus legendum præsto ex MStorum fide. Primo *Cœptibus*, pro *Cœptis*. Nec enim in secundâ solùm, sed & quartâ inflectitur declinatione. Val. Flacc. 6. Arg.

incœ

· *incœptus iam lancea temnit heriles.* Quod vocabuli & Tullio redonandum, Orat. 1. in Catilin. ſi fides habenda laudatiſſimo codici Thuringico, & ſcribẽdum: *Etenim quid eſt Catilina, quod iam amplius exſpectes? ſi neque nox tenebris obſcurare cœptus nefarios, nec priuata domus parietibus continere vocẽ coniurationis tuæ poteſt.* Hactenus legimus: *Cœtus.* Habes idem 4. de finib. *Atque ipſa inſtitutio hominis, ſi loqueretur, hæc diceret, primos ſuos quaſi cœptus appetendi fuiſſe, vt ſe conſeruaret in eâ naturâ, in quâ ortus eſſet.* Sed ad alterum in verſibus PapinI dubium. Quid volunt illa: *pœnarum exercita Thebis Agmina?* Vnus hîc abit Thuringicus, qui inuertit: *Thebarum exercita pœnis Agmina.* Vide, quid manifeſtius? A noſtrâ parte ſtat tota natura & pro ſepulturâ certat: Illinc pugnat exercitus variis pœnis iam afflictus, ipſiſſimæque ipſi præſunt Eumenides. Cuiuſmodi aduerſorum inter ſe oppoſitionem vide & in Panegyr. X I I. cap. 31.

CAPVT XLIV.

Bis Octauia incerti auctoris correcta. Falsus, *i.e.deceptus. Superbè respondendi formula, per aliam interrogationem.*



OCTAVIAM solocioris fili Trægœdiam, & quam Senecæ non esse doctorum virorum consensu constat, etsi non eâ (cur enim diffitear?) quâ reliquas cum voluptate percucurri: Indeptus tamen sum indicibus membranis quædam, nõ indigna visa quæ promantur.

Vers. 190.

atque monimenta exstruit
Quibus timorem fassa testatur suum.

MS. *falsa.* Quod genuinum mihi: i. e. decepta. Diomed. 1. Gramm. *Fallor falsus sum facit, vti Virg.* falsi impleuit genitoris amorem. *significat enim qui decipiebatur.* Marius in Orat. ad pop. apud Sall. Iugurth. cap. 4. *Ne illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter exspectant,*

ctāt, ignauia voluptatem,& præmia virtutis. De Acte loquitur auctor, concubinâ Neronis: quæ decepta iam idem metuat quod Poppæa. Adde Grut. in not. Terent. Eunuch. Act. *2*. Scen. *2*. *Vt falsus animi est. A fallo* enim id est ibi: quo sic vtimur. Lucret. *Nec me animi fallit.*

Vers. *856.*

> *PR. Quis regere dementes valet?*
> *N. Qui concitare potuit. PR. Haut quē-quam reor.*

Languidæ orationi vitam redonat ms. *Quis concitare potuit?* Vide quàm præfecti responsio nunc quadret. Haut absimili modo Andromache per aliam interrogationem respondet Vlyxi, in Troad. vers. *570.*


> *Vbi natus est? AN. Vbi Hector? vbi cuncti Phryges?*
> *Vbi Priamus? Vnum quæris? ego quæro omnia.*

Cic. 2. off. in fin. *Cato interrogatus: Quid fenerari? respondit: Quid hominem occidere?* Ita seruus TiberI Clemens, Agrippa hypobolymæus, *percontanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset? respondisse*

fertur, QVOMODO TV CÆSAR? Tacit. 2. An. ;0. Similem formulam vide in Priapeis, carm. 8.

CAPVT XLV.

A duobus turpissimis mendis liberatus Ouidius de Ponto. Translationis geminatæ exempla. Sarcina, onus, moles imperii.



CRIPTVM librum Elegiarum Nasonis è Ponto missarum, quo vsus sum quondam, optimum memini me cap. 12. nominare. In quo ne videar mihi blanditus, duo hîc subiiciam exempla, quibus manifestum fiet neque Fabricl codicem, neque Bersmani (vt aliorum taceam) æquæ fuisse bonitatis.

Libr. 1. Eleg. 3.

Dî faciant igitur, quorum mitissimus ille est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat.
Vtque diu sub eo, sic sit sub Cæsare terra,
Perq; manus hujus tradita gẽtis eant.

Dic

Dic sodes, quid sibi velit versus tertius, & quis sit, ad cuius exemplum sub Cæsare terra debeat esse? De nemine certè, præter vnum Cæsarem, mentio antèiniecta. Ille igitur liber ita exhibebat istum versum:

Vtque diu sub eo sit publica sarcina terræ.

Fixiùs inspice, & vestigia veræ scripturæ in deprauatâ agnosces. Defendunt eamdem lectionem glossæ in vetustissimis membranis sine textu ipso scriptæ, quæ hunc locum ita exponebant: *PV.SAR. Commune regimẽ. sed quia totam insimul terram regere difficile, & ponderosum, ideo dixit Sarcina.* Optima ratio. Teste enim Crispo, *multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores.* Et Tiberius apud Tacitum, quamquàm simulatè, 1. Annal. 11. ait: *Se in partem curarum ab Augusto vocatum, experiundo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ, regendi cuncta onus.* Consule huc Diphtheram Iouis Venetiis nuper editam, cuius caput primũ, si verba rectè memini, ad hunc modum inscribitur: *Quòd imperium sarcina sit Principi.* Onus vocat Ouid. 15. Metam.

Metam. in Orat. Iouis ad Venerem de Iul. Cæſ. eiuſque ſucceſſore Augu-ſto:

Vt Deus accedat cælo, templiſque colatur,
Tu facies, natuſque ſuus, qui nominis heres
Impoſitum feret vnus onus.

Vbi, quod obiter noto, mſ. legit, *muneris heres*: Quod non bliteum: ſi *munus* capias officium, ſiue imperii onus. Facit huc Sariſberienſis locus, 4. Nug. Curial. cap. 13. *Principatus non ſanguini debetur; ſed meritis: & inutiliter regnat, qui rex naſcitur, non meretur. Et procul dubio parentis affectum exuit, qui paruulos ſuos importabili moli ſubjectos extinguit.* Vt quidem emendandum reor: cum aliàs ſit: *importabili moli ſubjecta*. Molem & Papinius dixit 5. Silu. 1. verſ. 84.

- ille ſubactis
Molem immenſam humeris, & vix tractabile pondus
Impoſuit.

Nec tamen olim poteram hanc loci Ouidiani emendationem, viro cui doctiſſ. & in his literis ex primis, proba

probare, ideo quòd nō bene dicatur, *Sarcina sit sub Cæsare*: cum sarcinas nobis imponamus: atque ita translatio non maneat intra generis sui cancellos. Verùm nondum dimotus sum de meâ opinione. Videmus enim bonos auctores sæpe abire à translatis ad vocabula propria. At Imperium Romanum esse sub Cęsare rectè dictum. Cur non igitur sarcinam Imperii? Imò videas geminas translationes haut rarò confundi. Talia sunt: *ignaras terras vomere imbuere*, Val. Flac. *Deuinctus vulnere amoris*, Lucret I: *Decursum lumen vitæ*, eiusdem: *malè tornatos incudi reddere versus*, Horat I: & infinita talia. Quod & Gifan. Ind. Lucret. verb. TRANSLATIONES monuit. Excusant hæc me exempla homini pręter fas curioso, qui non poterat videre rationem, cur in carmine nuper dixerim, *bullā tergo fluminis innatātem.* adiecto egregio cauillo: se nunquā vidisse quemquam in tergo alterius natâsse. At quæsiuerim ex illo vicissim, videritnè equo quem alium in alterius tergo latum. Ita quidem Ouid. I.

de Pont.

Quæque aliæ gentes, vbi frigore constitit Ister,
Dura meāt celeri terga per amnis equo.

Iam vide sis alterum locum æquè turpiter contaminatum vulgò, æquè bene in scripto libro exaratum. Lib. 2. El. 2.

Qui rapitur fatis, qui præter fata requirit?
Porrigit ad spinas duraq; saxa manus.

Primus Merula ex vetustissimo libro suo hunc interiecit versum:

Sæpe creat molles aspera spina rosas.

Quem in omnibus etiam scriptis libris inuenit Ciofanus. Bersmanus auctarium addidit ex suis membranis, édiditque:

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Sæpe creat molles aspera spina rosas.
Qui rapitur spumāte salo, sua brachia cāpi
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus.

Duo sunt in his versibus quæ haut dubiè cuiuis legenti scrupulum iniiciunt. Repetitio cùm initii: *Qui rapitur*: tum vocis *spina*: Et dissolutio versus quarti. Ego præter laudatum

librum

librum duos alios ſequioris bonitatis hoc loco conſului: quorum alter omninò cum Berſmani editione conſentit, excepto quòd pro *campi* habet *nanti*: Alter ineptè: *Qui rapitur ventis, quid præter fata reliquit?* Dî quanta iſta variatio! vera lectio eſt in tertio, bonitate primo, libro:

Qui rapitur ſpumante freto, ſua brachia cauti
Porrigit, & ſpinas duraque ſaxa capit.

Quam per ſe ſatis commendatam, nihil attinet pluribus lectori commendare. Vtitur eâdem comparatione ad paullò aliam rem notandam Senec. Epiſt. 4. *Hæc quotidie meditare, vt poſſis æquo animo vitam relinquere, quam multi ſic complectuntur & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera.* Originem mendi noſtri neſcio an verè ariolatus ſim, eſſe ab æquiuocatione vocabuli *cauti*: quod à *cautus* eſſe caudex quis opinatus. aſſequi nequiuit. Prius diſtichon in illo Ms. erat vt editum eſt à Berſmano. Ego ſi animi mei mentem proferre debeo, procliuus ſum, vt totum abiiciam. Manâſſe

opinor

opinor ex altero, inque eius emandati locum se plerisque in exemplaribus posuisse. Id quod repetitæ tam in hexametro, quàm pentametro versu dictiones vociferari videntur. Nec placet aspera ista consonarum collisio *aspera spina*: quâ de in calce huius libelli quædam subiungam.

CAPVT XLVI.

Senecæ Hercules Furens emendata. Bonum lucis. Percutere, ferire, *de splendore dicta.* Oculiferia.



X ingenio hunc I. Lipsius Senecæ tentauerat locum, Herc.Fur.vers. 813.

- & nitor
Percussit oculos lucis ignota, bonos
Resumit animos.

Conieceratque scribendum, *lucis ignota bono.* Displicuit hoc Delrio, quia sit contra fidem librorum. Neç probat Gruterus, quia lux respectu Cerberi magis tristis, quã bona. Mihi verò

verò valdè adblanditur: cùm quia (Fidem testor) ne apex quidem in msſ. Thuringico diſſidet: tum quòd bonos animos reſumere minùs conuenit Cerbero, quàm *bono lucis percuti*. Bonum lucis vocat ἁπλῶς, non reſpectu ad hunc vel illum habito. Vide omnino Schop. 1. veriſim. 9. & noſtra miſcell. lib. 5. cap. 3. Eodem ferè modo Papinius de Plutone lib. 5. Theb. v. 33.

- *iucundâque offenſus luce precatur.*

En! quomodo hîc offenſo lux iucunda? Phraſis præterea illa ex medio Latio eſt oriunda. Eademque planè eſt apud Senec. Epiſt. 79. *Quis glorietur oculis, qui ſuſpicentur diem, quibus Sol per caliginem ſplendet? Licèt contentus interim ſit effugiſſe tenebras, adhuc nondum fruitur bono lucis*. Cicero alicubi, *bonum literarum*; Ouidius, *bonũ formæ*; Palladius, *bonum naturalis fœcũditatis*, & huiuſmodi alia alii dixêre. Non poſſum, quin illuſtrando huic loco plura adfabuler. Eleganter dictũ eſt illud: *nitor percuſſit oculos*. Ita *verberare oculos*, Seneca dicere amauit, Epiſt. 92. *Noc hoc æſtimat ſplendore, quo*

impe

imperitorum verberant oculos. Apulei. de Deo Socrat. *Fila corpora possident rara & splendida, & tenuia, usque adeò, ut radios omnis nostri tuoris & raritate transmittant, & splendore reuerberent, & subtilitate frustrentur.* Ita Papinius, *ictam luce domum.* 10. Theb. 114. *Maiorque repentè Lux oculos ferit*, Silius lib. 3. in fin. dixere. Lucan. lib. 7.

- tibi pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito ferière die.

Senec. Episto. 88. *His imperitorum feriuntur oculi.* Vnde idem eleganti compositione merces illas, quas in tabernarum suarum frontibus, alliciēdi emtores, suspendunt institores, nouo vocabulo *oculiferia* nuncupat, Ep. 33. *Non habemus itaque ista oculiferia, nec emtorem decipimus, nihil inuenturum, cùm intrauerit, præter illa, quæ in fronte suspensa sunt.* Quod vocabuli ex Mss. eruerunt Lipsius & Modius: probatque Gruterus, nec damnat Muretus.

CAP.

CAPVT XLVII.

Fluminibus claudi. Flumina finium arbitri. Mortes. *Cicero sæpiùs, semel Eumenius in Paneg. emendati.*

PVLCERRIMI sunt versus Valer. Flacci, 7. Argonaut. vbi Venus Circen mentita, sic Medeam alloqui fingitur:

Omnibus hunc potiùs communem animantibus orbem
Communes & crede Deos: patriam inde vocato,
Quà redit itque dies: nec nos Dîs nata malignis
Cluserit hoc vno semper sub frigore messis.

Varietas magna est hoc loco. Quidam libri: *ô nata malignis.* quidam: *ornata malignis* Ms. Carrionis, vt editũ est. Ego præfero omnibus quod in Aldinâ editione visitur:

- nec nos, ô nata, malignus
Cluserit hoc vno semp. sub frigore Phasis.

Fluminibus enim non messibus clauduntur.

duntur regiones. Vnde finium arbitri rectè audiunt fluuii : quomodo Iordanem appellitat Tertull.in De pall.ſub init.Euandri verba ſunt apud Virg.8. Æn.

- hinc Thuſco claudimur amne,
Hinc Rutulus premit.

Simile eſt illud Ouid.6.Metam.

Quæque vrbes aliæ bimarì clauduntur ab Iſthmo.

Tacit.1.Ann.9. *Mari Oceano aut amnibus longinquis ſeptum imperium.* Et 2. Ann.20. *Hoſtem à tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant.*

Eodem libro ita ſecum agit Medea:

Tunè ſequeris, ait, quidquam aut patiere pudendum,
Cum tibi tot mortis, ſceleriſque breuiſſima tanti.
Effugia?

Quænam illa effugia mortis? Imo cōſtituit ſibi mortem conſciſcere,atque ita ſceleris effugia quærere. ne ſc. ſe adiutore vellus aureum parenti & Colchis eriperetur. Scribo igitur cōfidenter: *Cum tibi tot mortes.* Vt ſimilis

ſit

sit oratio, illi Senecæ, Ep. 51. *Ego illam* (fortunam innuit) *feram, cum in manu mea mors sit?* Et Epist. 91. *Non sumus in vllius potestate, cũ mors in nostrâ potestate sit* & quæ alia eiusdem auctoris hunc non succurrunt. Mortes capio pro occasionibus mortem sibi consciscendi, aut mortis generibus. Sic mortes appellat Statius ictus inflictos, 6. Theb. v. 790. vbi de Alcidamante cum Capaneo congresso:

- motu Spartanus acuto
Mille canet lapsas circum caua tempora mortes.

Ad quem locum respexit Sarisberiẽsis, 6. Nug. 3. *Et quisquam mortes mille circa tempora sua errasse gloriatur.* Non absimiliter idem 8. Theb. v. 24. varias mortes dixit, quòd multis modis homines vitam cum morte commutent. Et Ouid. XI. Matam.

- totidemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.

Mortes igitur & effugia sceleris ἐκ παραλλήλου posuit. Paullò aliter idem lib. 1. v. 803.

- mors fera viam tentataque claudat
Effugia, & nostras nequeat procurrere diras.

Sed & ex sexto ValerI libro adpendam hîc quemdam locum:

Illius ad fremitus, sparsosq; per auia succos
Sidera fixa pauent, & aui stupet orbita Solis: *(igni*
Mutat agros, fluuiûmq; vias: suus alligat
Cuncta sopor.

Scribendum coniiciebam: *suus alligat illi Cuncta sopor.* Nempe Medeæ. *Sopor alligat*, eleganter dictum. Stat. 10. Theb. v. 275.

- vt quemque ligatum
Infelix tellure sopor, supremaque nubes
Obruerat.

Et quamquam amico, cui hanc coniecturam ostendebam, non probabã omnino: eò, quòd non bene ipsi dictũ videbatur: *Suus sopor*: nondum tamen sententiam mutaui. Ita enim & Virgil. de apib. 4. Georg.

Post vbi iam thalamis se cõposuê re, siletur
In noctem, fessosq; sopor suus occupat artus.

Vbi (quod obiter tango) Seruius ita notat: SOPOR suus: *ipsis aptus. Nam ideò*

suus,

suus, quia altum desinũ, pro naturâ *mellis*, vt ipse alibi: *Melle soporatis frugibus offam*. Vbi legerem libens: *quia altum stertunt*. Versus etiam, quem innuit, est ille 6. Aen. *Melle soporatam & medicatis frugibus offam*. Venisse tamen id, quod Seruius notat, Virgilio in mentem, non credo. Ceterùm nihili est distinctio Aldini libri: *fuis allegat ignis Cuncta, sopor recolit fessos ætate parentes.* Medea enim senes recoquit, nõ sopor.

CAPVT XLVIII.

Iácere voces. Teneri. Summâ Reip. *Cicero sæpius, semel Eumenius in Paneg. emendati.*

RESVMO Tullium, éque multis, quæ ad illum dici poterant, hoc quoquè capite pauca excerpo. Orat. 4. Catilin. *Sed quæ exaudio, P. C. dissimulare nõ possum: iactantur enim voces, quæ perueniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, vt habeãt satis præsidij, &c.* Sensus nihil laborat. Vnum tantum-

 modo

modò verbum frequentandi formâ ſcriptum eſt, contra vet.libri auctoritatem, in quo: *jaciuntur enim voces.* Benè & eleganter dictum. Idem pro Syllâ: *Equidem vehementer lætor, eum eſſe me, in quem tu, cùm cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non ad maximam partem ciuium conueniret.* Pro Planc. *Hunc tu vitæ ſplendorem maculis adſpergis iſtis: jacis adulteria, quæ nemo ne nomine, ſed ne ſuſpicione quidem poſſit agnoſcere.* 2. ad Att. *Sed illud quid ſit ſcire cupio, quod jacis obſcurè, &c.* Tacit. 1. Annal. 10. *quædam de habitu, cultuque & inſtitutis eius jecerat, quæ velut excuſando exprobaret.* Vide 2. Annal. 55. 3. Ann. 8. 1. Annal. 13. & 19. 12. Annal. 64. 15. Annal. 50. 1. Hiſtor. 85. & alibi paſſim. Salluſt. Iug. *Ibi cùm multa de adminiſtrando imperio diſſererent, Iugurtha inter alias res jecit, &c.* Vbi Riuium in annotationibus adi, & plura huius generis vide.

Orat. 2. in Catilinam:

Cùm hæſitaret, cùm cunctaretur, quæſiui quid dubitaret proficiſci eò, quò jam pridem pararet, &c.

Non

Non nihili est, quod agnoscit Ms. *Cũ hæsitaret, cùm teneretur.* Præcessit enim: *Cùm ille homo audacissimus conscientiâ conuictus primò reticuisset, patefeci cetera: quid eâ nocte egisset, vbi fuisset, quid in proximâ constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta edocui.* TENERI, per *cõuictum esse* explico: 1. Catil. *Constrictam iam omnium horum conscietiâ teneri coniurationem tuam non vides?* Eâdem: *Muta iam istam mentem, mihi crede, obliuiscere cædis atque incendiorum, teneris vndique, luce sunt nobis clariora tua consilia.* Pro Syllâ: *Cuius si caussa non manifestissimis rebus teneretur,* &c. Pro Cecin. *Facilè honestissimis testibus in re perspicuâ tenerentur.*

Orat. 1. Catil.

Non est sæpius in vno homine salus summa periclitanda Reipublicæ.

Variant libri. Lambinus: *Salus summæ rei periclitanda.* Alii: *Salus Reip. periclitanda.* Ms. noster: *summa salus periclitãda Reip.* Inconstantia prodit esse falsos testes. Fuit credo: *summa periclitanda Reipubl.* quod non intellectum à scriptoribus, fecit vt alterum adsci-

ſceretur. Paullò inferiùs: *ad illa venio, quæ non ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domeſticam tuam difficultatem ac turpitudinem, ſed ad ſummam Reip. atque ad omnium noſtrûm vitam ſalutemque pertinent.* Qui & ipſe locus in Lambini libro mutatus eſt, & ita ſcriptus: *ad ſummam Rempub.* 3. Catilin. *Indicij expoſitis atque editis,* QVIRITES, *ſenatum conſului de ſummâ Reip quid fieri placeret.* Et hic locus variat. Lambin. *de ſummâ Reip.* mſ. noſtras perperam intruſerat & hîc eamdem voculam; *De ſummâ Reip. ſalute.* Ictus doctiſſ. Fr. Hotom. ad illa verba Cic. pro Sext. Roſc. *Summa Reipub. in huius periculo tentatur:* ita notat: SVMMA REIP. locutio eſt idem ſignificans, quod ſtatus ſiue firmamentum Reip. Ergo hic ſenſus eſt, Tentatur ſumma Reip. id eſt, id agitur vt Reſpub. euertatur, vt optimis quibuſque ciuibus, qui ſua virtute Remp. ſuſtinent, exitium ac pernicies adferatur. Nec tamen neſcio quid Cuiacius 12. obſ. 37. moliatur, in l. 1. §. licet. 20. ff. de exercit. act. & l. 14. ff. ad municip.

nicip. vti & in modò positis Cicer. locis. Cui ego non accesserim: fortassis nec alius. Quin & in Paneg. Eumenii 9. cap. 8. legerim potiùs: *Et quamquam iua ad seniores principes de summâ Reip. quid fieri placeret retulisses, &c* vbi est *de summâ Rep.* Adde Tacit. 1. hist. 23. Sueton. in Neron. c. 3.

Eâd. orat.

Quæ cum ita sint, Catilina, dubitas, si hîc emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam istam multis supplicijs iustis debitisque ereptam, fugæ solitudinique mandare?

Suspectum mihi fit illud: *Si hîc emori &c* Potiùs enim debuisset dici: *Si hîc viuere æquo animo non potes.* Cum sequatur: *vitam solitudini mandare*: non, *diē in solitudine obire.* Nihil abibat ms. noster, nisi quòd aduerbium *hîc* aberat. Eius tamen aliquo indicio videor mihi veram redeptus lectionem. Nã ad illa, quæ lineam tantummodò vnam istud *mori* antecedunt, *abesse debere*, ad hæc, inquã, verba inter lineas scriptum erat: *vel hîc morari.* Transsiluisse librarium vnam opinor lineam

& illam lectionis varietatem notari debuisse ad hoc nostrũ *emori*. Verisimili igitur coniecturâ emendârim locum nostrum ad hanc faciem : *Si hîc morari æquo animo non potes*. Quomodo scripsisse Ciceronem, aut certè scribere debuisse nemini obscurum.

CAPVT XLIX.

Struere capillos, comam. *De situ Phrygiæ quædam. Emendatus Claudianus.*



MERETVR elegantissimus Poëta Claudianus, vt & hoc ipsi dicetur caput. Ita vulgatum legimus 2. in Eutrop. 185.

Inque orbẽ tereti mitrâ redeunte capillum
Strinxerat, & virides flauescere iusserat angues.

Melius verbum membranæ præstant: *capillũ struxerat*. Apulei. 2. Milesf. *Vberes enim crines leniter emissos, & vertice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimque sinuato patagio residentes, paulisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstruxerat*. Hieronym.

Epist.

Epist.8 *Capillis alienis verticem struere*, dixit. Tertull. in De pall. *stolam fundere, comam struere, cutem fingere*, &c. Enotabo huc notam doctissimi Vvouverl ad Petron. pag. 297. quæ talis est. Solebant crinem fastigiare, seu in summum verticē adstringere in modum galeri, aut turris. Vnde Iuuenal.

- tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Conuoluti isti crines ad verticem capitis tutuli Romanis. Varro 4. de Lati. Fest. Hoc appellauit Tertullia. de pall. *comam struere*, & libr. de cultu fem. *Structores capillaturæ.* Hierony. Episto. ad Demetr. *Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere.* Vt Lucanus: *Turritamque gerens frontem*, & Nazianz. μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοις γυναῖκες. Hactenus Vvouverl purpurā meo panno adsui. Eodem libro Claud. vers. 238.

Pars Phrygiæ, Scythicis quæcunque Trionibus alget
Proxima, Bithynos, Sole quæ cōdit Ionas:
Quæ læua attingit Galatas: vtrimque propinquis

Finibus obliquis Lydi, Pisydique feroces
Continuant australe latus.

Eruit Delrius ex vet.libro: *Quæ leuat, attingit Galatas*: Id quod noſter liber probat.Nec ipſe ſolùm,ſed & quidam eiũs lector, qui adpinxerat: *pars, verſus quam Sol oritur.* Bis igitur repetendum ἀπὸ κοινοῦ verbum *attingit*: Vt Phrygiæ pars Septentrionalis Bithynos tangat. Occidẽtalis,Ioniam:Orientalis, Galatiam. Sed videndum ne pugnet nobis Martianus in Satyrico, lib.6. *Phrygia Troadi imminet,ab Aquilone Galatia eſt, à meridie Lycaonia & Piſydia Mygdoniæ confinis eſt,ab Oriente Lyciæ,à Septẽtrione Miſiæ & Cariæ.*En! Galatas collocat ab Aquilone: nec,vt noſter,ab ortu Solis.Oculis etiam iudicibus idem deprendimus, inſpectis tabulis geographicis, quæ Phrygibus Galatiam inter Septẽtrionem & Ortum,è regione Tauri,locant.Bithynis reuera Galatæ ſunt ab Ortu, vt in iiſdem videre eſt,& legere in Ptolom.5. Geogr.1.cuius verba: πόντος καὶ βιθυνία περιορίζεται ἀπὸ μὲν δυσμῶν τῷ στόματι τοῦ πόντου, &c. ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν γαλατίᾳ

κατ

κ῀ παφλαϛονίαν, &c. At Bithyni Phrygię à Septentrione, vt vel hinc videas Galatas inter Ortũ & Septentrionem medios eſſe. At nondum dubito de lectionis erutæ veritate. Nam & Ionia nõ ad Solis Occaſum Phrygibus ſita, ſed inter illum & Meridiem è diametro, ſi Phrygiam ſpectes, Galatiæ eſt obuerſa. Quo igitur iure ſub ſolem vergentem illam reiicit, eodem hanc ſub Orientem. Non adeò ſcilicet accuratè hæc curat: Sufficit quod quodammodò in has partes vergũt. Quo etiam collimant verba Ptolomæi 5. Geogr. 5. quæ è verſione Latinâ hæc ſunt: *Galatia limites habet ab Occaſu Bithyniam, & partem Aſiæ; iuxta expoſitam lineam.* Ea pars Aſiæ eſt Phrygia, quæ Bithyniam contingit. Herbam tamen porrigam illi, qui meliorem ſenſum ex vulgatâ elicuerit.

CAPVT L.

Vulgata lectio in Aetna Corn. Seueri defenſa, & explicata. Audire. Poëtæ mendaces. Fide

maius. *Correctus ex libro Claudianus, & Augustinus in De Ciuit. Dei.*



VLCERRIMVM nunc Corn. Seueri in Ætnâ locum excutiam. Is, cùm Poëtarũ de Vulcani in Ætnæ is faucibus officinâ, de cyclopibus fulmina Ioui cudentibus, déque Encelado ibidem sepulto; figmenta recensuisset, subiunxit:

Hac est mendosa vulgata licentia famæ,
Vatibus ingenium est: hinc audit nobile carmẽ
Plurima pars scenæ, verùm est fallacia. vates
Sub terris nigros viderunt carmine manes,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna.
Mentiti vates Stygias vndasque canesque.

Multus est illustris Scaliger in corrigẽdis his versibus: & ita legere malit:

- hinc auget nobile carmen
Plurima pars scenæ. verùm & fallacia vates
Sub terris nigros viderunt crimina manes,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna
Mentiti, naues Stygias, vndasque, canesque.

Ego verò (liceat mihi modestè dissentire, pace Manium tanti viri) dicere ausim, nullum in vulgatâ lectione præter leuissimum interpunctionis

esse

esse erratum. Certè necessitas nulla poscit, nec ratio vlla suadet, vt ab illâ abeamus. Mihi maneat:

Vatibus ingenium est: hinc audit nobile carmē
Plurima pars scenæ, verum est fallacia. vates
Sub terris nigros viderunt carmine manes,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna,
Mentiti: vates, Stygias vndasque canesque.

En! quàm elegans in τελευτῶλῳ hac periodo Anaphora: *Vatibus, vates, vates?* En! quàm apposite positum τὸ *audit*, pro *appellatur*. Ita Horat. 1. Epist. 7.

- Rexque paterque
Audisti coram nec verbo parciùs absens.

Quomodo & Græci τῷ ἀκούειν vtuntur. Nonnus in paraphr. Ioan. cap. 1. τέκνα Θεοῦ γενετῆρος ἀειζώοντος ἀκούειν. Hinc κακῶς ἀκούειν Græcis, & *male audire* Latinis perquam familiaria. Quàm suaue sonat auribus, *videre carmine?* Quod de Poëtis elegantissimè, quamquam abusiuè, dictum: i.e. describunt quomodo videantur manes apud inferos: vt paullò inferiùs Tytion sternere, rotare Ixiona, solicitare Tantalum. Ouid. eodem modo, 3. Eleg. 11.

Iidem per spatium Tytion porreximus ingens.

Claudian. de Mall. Cons. vers. 70.

- hic procreat omnia flammis.

Lucret.lib.5.dicit *ſolicitare mundum ex ſuis ſedibus, & euertere*: pro ſcribere, quemadmodum futurum ſit vt euertatur: Arnob.2.aduerſ.gent. *Qui indiuiduis corporibus mundos ſemper fabricatur & deſtruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro.* Quod Tullius aliquis extuliſſet: Qui facit mundos ex indiuiduis corporibus conflari: aut quod maluiſſet verbum. Ita enim Cicero: *Plato facit mundum ædificari à Deo.* Claud.in Eutrop.verſ.295.

- hunc arbore figit,
Eleuat hunc palmâ, ſquamis hunc fabula veſtit.

Vbi memineris, ſcitè legi in membranis: *Eleuat hunc plumâ.* i.e. Quidam in aues abiiſſe finguntur: alii in piſces. Iuuenal.Sat.1.ſub.fin.

Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem
Committas

Huiuſmodi quid obſeruat doctiſſim. Caſaub. ad Sat.5.PerſI, verſ. 8. cuius hæc ſunt verba: *Vt ſæpe apud Philoſophum γεννᾶν τ̀ οὐρανὸν ij dicuntur, qui ſcribebant cœlum fuiſſe genitum, ſiue creatum, apud Theophraſtum & Plautum αἱρεῖν τὰς πόλεις, vrbes capere, illi qui vr-*

bium

bium ἁλώσεις narrabant: ita heic, feruere illis dicitur olla Procnes aut Thyestæ, qui tragœdias componunt, &c. Sed reflectendum ad lineam. Pulcrerrima etiam in verſibus noſtris ellipſis eſt, verſ. vlt. τοῦ *viderunt*: & denique ἰσοτέλευτον valde bonum in prioribus periodi mēbris. Vt enim primum in illa: *verum eſt fallacia*; Sic mediū in *mentiti*, ſenſu planè eodem, finit. Ad eamdem faciem ſcripſit Callimachus, 3. Epigr.

ὦ Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος. αἱ δ' ἄνοδοι τί;

Ψεῦδος. ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος. ἀπωλόμεθα.

Quod â nobis, quantum quidem patiebatur ſe rotūditas Grϵcæ linguæ in totidē pedes Latinos cogi, ita verſum:

Quid, Charida, infernus? mera nox. Quidnam inde regreſſus?
Fabula. Quid Pluto? verba. perimus enim.

Atque ita nihil mendaciis ſuis Poëtæ obtendunt, fatenturque pleraque ſua eſſe compoſita. Ita Claud. de bell. Gildon. *Nil veris æquale dabunt.* Auſon. ſub perſonâ Didonis:

Falſidicos vates, temerāt qui carmine verum.

Vt veriùs legatur apud Auguſtin. 2. Ciu.

Ciu. Dei, cap. 14. *tamquam aduersarios veritatis Poëtas*. vt est in ms. quo nomine pluries eosdem idem indigetat: vt etiam lib. .cap. 4. de Iunonis asylo locutus, subiecerit: Sed Virgilius illa more Poëtarum mentitus fuit. Adde Pacat. Panegyr. XII. cap. 4. fabulas Poëtarum mulcendis auribus repertas dicentem. Et cap. 17. *vt hæc esse vera credamus, quæ mendaciis vatum in plausus aptata canentium, fidem tẽpori debent.* Hinc videas illas Poëtarũ protestationes. Claud. 6. Cons. Hon. vers. 475.

- si qua fides augentibus omnia Musis.

Nec vno in loco apud Ouid. Tale est 3. Metam:

Inde (fide majus) gleba cœpêre moueri.

Et lib. 4.

Resque fide maior, cœpêre virescere telæ.

Velleius etiam vtitur. vid. lib. 2. cap. 104. & 110. Etiam alii, quando quædam παράδοξα καὶ θαυμαστὰ referunt, & quæ sint ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον, vt Pindari sunt verba. Sed vela contraho.

CAPVT LI.

Gens, *pro regione seu terrâ*. Pharetra

retra sagittis grauis, grauida. Vittę albentes. Arma arma. Bacchus Falernus. Inoffensa, euitata meta. Nauis icta aquis fatiscit. Vt in populo. Plus parte. *Multa Ouidi loca excussa.*

RES iubet vt tandem abrumpam, memor me promulsidem dare. Antequam tamen finiam, in hoc caput veluti Saturam congeram varia Nasonis loca, quibus olim domi meæ medicinam feci: vt magis adhuc pateat, pessimè adhuc habere Poëtam optimum, verumque esse, quod in literis amantissimè scriptis, magnus noster amicus, CL. Gruterus, cum inquirerem in quædam Ouidi loca, respondebat: *verùm omnes varietates tibi promere infinitum fuerit: satis sit dixisse: putare me vix decimum versum esse integrum, vt Ouidius finxit.* Creditis hoc Misocritici? Ecce vero nunc aliquam vobis faciam fidem, si vel hæc tantùm loca inspicere dignabimini. Lib. 1. Metam.

Omni

Omnibus & quæ ſit terra mortalibus orba
Forma futura rogant, quis ſit laturus in aras
Thura? feriſnè paret populandas tradere terras.

Pro vltimâ dictione membranæ habent: *Gentes*. Optimè. Sic euitabitur ingrata eiuſdem vocabuli repetitio. GENS enim de regione dictu non infrequens. Arnob. 1. adu. gentes: *Gentes viduas eſſe ſuis cultoribus & deſolatas.* Noſter infrà 2. Metam.

Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cineres vertunt.

Nec placet, quod Ciofanus reponit, *terras*: quod gloſſema alterius eſſe mihi certum eſt. Eadem vox ex Berſmani, & meis membranis, licèt cetera non optimis, ſcribi debet, 5. Faſt.

Prima per immenſas ſparſit noua ſemina gentes.

Libr. eod.

madidis Notus euolat alis
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba grauis nimbis: canis fluit vnda capillis:
Fronte ſedent nebulæ: rorant pennæque ſinuſque.
Vtquè manu latè pendentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.

Agnoſcis inſignem προσωποποιΐαν. Quam auxeris, ſi ex mſ. noſtro legas: *denſi funduntur vertice nimbi?* Vultum, barbam, capillum, frontem antè dixit:

cur

cur igitur hoc acceptare nolis?

Eod.lib. in fab. de Pythone ab Apolline interfecto:

Hunc Deus arcitenẽs, & nũquam talibus armis
Antè, nisi in damis capreisque fugacibus, vsus,
Mille grauem telis exhaustâ penè pharetrâ
Perdidit.

Præfero v.l.scripturam:

Mille graui telo exhaustâ penè pharetra.

Ita locutus est Horatius: 1. Carm. Od.22.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis nec arcu,
Nec venenatis grauidâ sagittis
Fusce Pharetrâ.

Sub finem lib. 1. Phaëthon ad Clymenem matrem:

Quoque magis doleas genitrix, ait, en ego liber
Ille ferox tacui pudet hæc opprobria, &c.

Rectiùs membranæ: *ille ego liber, Ille ferox tacui.* Nihil igitur (secùs ac V. CL. Doctor noster olim putauit) hic locus facit ad quæstionem, an *liber* pro *filius* in singulari ponatur.

Lib. 2. Metamorph.

ita fertur, vt acta
Præcipiti pinus Boreâ, cui cuncta remisit
Frena suus rector: quam Dis votisque reliquit.

Pulcrius est quod erui ex mẽbranis, *quam Dis ventisque reliquit.* Ita ferè

Statius

Statius 5.Theb.288.

Dis pelagi, ventisque, & Cycladas AEgaeoni
Amplexo commendo patrem.

Idem 10.Theb.v.12.

Ceu mare per tumidũ viduæ moderantibus alni,
Quas Deus & ventus, tempestatesque gubernãt.

DEOS & VENTOS iungit etiam Virg.7. Æneid.

Parte aliâ ventis & Dis Agrippa secundis
Arduus, agmen agens.

Eod.libr.

Dî maris annuerant, habili Saturnia curru
Ingreditur.

Coniectabam: *agili Saturnia curru Ingreditur.* Ita 2.Pont.Eleg. 10.

Esseda nos agili sæpe tulere rotâ.

Lib. 3. de Tiresiâ:

Ille mouens albentia tempora canis.

Præfero ex Ms. *albentia timpora vittis.* Candidæ enim vittæ insigne erant augurum, vatum, sacerdotum, etiam regum. Stat.1.Achill.v.11.

Nec mea nunc vittis albescunt timpora primis.

Val.Flacc.5.Arg.

— pars auguris albâ
Fronde caput, vittisque ligant.

Silius lib.16.v.241.

— cinguntur timpora vittâ
Albente.

Libr.11.Metam.

Dum

Dum superest aliquid, cuncti coëamus ad arma,
Arma capessamus, coniunctaque tela feramus.

Probum omninò, quod inuentum in ms. Bersmani: *& arma Arma capessamus*. Ita lib. 12.

Certatimq; vno ore omnes arma arma loquũtur.

Statius 3. Theb. 348. *Arma arma viri.* Vti & Virg. 2. Aeneid. *Arma viri ferte arma viri.* Sil. lib. 4. v. 98. *Arma viri rapite arma viri.* Idem libr. 11. v. 132.

- furiata iuuentus
Arma arma Hannibalemque volunt.

Stat. 7. Theb.

Arma arma insani sua quisque ignotaque nullo
More rapit.

Horat. 1. Carm. Od. 35.

- neu populus frequens
Ad arma cessantes ad arma
Concitet. imperiumque frangat.

Tale ferè est illud Virg. 6. Aen.

- bella horrida bella
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Lib. 4. de Pont. Eleg. 2. sic editur:

Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina Falerna
Triptolemo fruges, poma det Alcino?

Longè elegantiùs literâ mutatâ ms. *quis Baccho vina Falerno.* Epitheto certè nullo vinũ hîc opus habet. At notum est agrum Falernum vini prouentu & bonitate esse nobilem; de

quo

Id ſolum, vt in tumultu, monuit, &c. Rectè igitur feceris, ſi veteris libri, quem Rhenanus habuit, ſcripturam contextu donaueris, de Morib. Germ. cap. 2. *Quidam, vt in licentiâ vetuſtatis, plures Deos ortos &c. adfirmant.* Malè hactenus fuit: *Quidā autem lic.* Idem 2. hiſt. 34. *Crebris, vt in ciuili bello, transfugijs.* & 1. hiſt. 36. *tamquā in populo ac plebe.* libro 3. Eleg. 3. ad coniugem ita ſcribit Naſo:

Omnia cum ſubeant, vincis tamen omnia coniux,
Et plus in noſtro pectore parte tenes.

Vti quidem edi curauit Berſmanus ex ſuo Ms. cum antè fuerit: *Et plus in noſtro pectore parte tenes.* Verùm nolim iſtis membranis fidem habere tãtam, vt proptereà dictionem elegantiſſimã exterminem, & quà vix quidquã in totâ Elegiâ magis videri poſſit Ouidianũ. Sic infrà 5. Triſt. El. 11.

Quippe ſimul nobis habitat diſcrimine nullo
barbarus, & tecti plus quoquè parte tenet.

Sic etiã Lucretius fuit locutus, lib. 3.

Plus vt parte foras erumpant, exſiliantque.

At; ſatis tandem eſt horum, ſi bona ſunt; ſin mala, nimiùm.

LECTO

LECTORI BENIVOLO.



ANDEM & te in extremo libelli affabor, si quis mihi futurus es, Candide & beniuole Lector, quem in vestibulo compellatum oportuit. Promsi ecce! partem aliquam iuuenilium meorum Criticorum, in vicem promulsidos. Quo; sat scio, vsu tibi veniet, quod in aliâ re Tullio olim. Is solitus est mirari impudentiam eorũ, qui agebant in scenâ, spectante Roscio. *Ita tibi, inquam, mirum fiet, me hominem infrà mediocritatem doctum, quasi in scenam propellere tamen CRITICA, in tot acerrimi iudicij solidæque eruditionis virorum oculis & conspectu. Nihil diffitebor. Vix video, quî temeritatis notâ me liberem: nec ferè suppetit clypeus, quem isti ictui obtendam. Vique dixero stultum esse,*

cum tot vbique
Scribentes videas, perituræ parcere chartæ:

Auditurus sum, quod Seneca notat, ire me non quà eundum, sed quà itur. *Se-*

det igitur, ingenuè aliquid hîc culpæ adgnoscere, idque deprecari magis, quàm amouere. Et, scio, ab illis, quos loquor, semonibus veniam facilè impetrauero: si professus fuero, me nullam harum editione chartarum venari ingenij laudem, sed diligentiam sòlùm aliquam meam (præfiscine) testari voluisse. Idque obscurum esse nequit illi, qui viderit pleraque omnia illarum esse à libris veteribus: admodum pauca ab ingenio. Quam alteram viam, in hoc studiorum campo, vt maximè ad gloriam & ingenij laudem ferat quandoquè scias tamen & doctioribus lubricissimam esse, fierique, si illi insistatur haut raro, vt lutum, quod ajunt, luto eluamus, nonnunquam intaminata maculemus. Vtque dem hujusmodi ariolationes in magnam quandoque surgere speciem, quis tamen non similes illas dixerit τῶν ἄνευ κάλλους ὡραίων. Sed & hoc spem veniæ mihi fecerit, quod non vltrò in publico me sisto, sed lacessitus ab vno alteroque viro, in his literis è primis, qui aliquot nunc est annos, cùm quædam horum lecta non indigna luce censuêre: epigrammatis etiam quidam, ne premerem, hortati fuê

ti fuère. Quo fit etiam vt non pessima aut ineptissima ea putem omnia: quod abundè voto meo suffecerit. Nec enim id ampliùs se porrigit, quàm vt doctus aliquis Philtonis de iis pronunciet verba: Non optuma ea esse, verùm meliora quàm deterrima.

Sed ad alium quoque metuendum est mihi ne offendam scopulũ: iactatas nempe non ab indoctis solùm, sed magnis quoquè viris voces: Meras in his studiis esse nugas: puram putam stultitiam: Summam Reip. in his siue argutiis, siuè ineptiis non verti: quomodo hic aliusue locus legendus sit aut explicandus, se manum nõ versuros: his occupatos esse ὀνοματοθήρας rerum inanes: tempus in his miserè perdi, grauiora & vtiliora negligi. Hi si notarẽt illos, quorum animos hæc Topamia sola occupat, vt ad hunc veluti Sirenum scopulum adpulsi consenescant, ferrem aliquantum: qui & ipsius ita censeo, hisce ἡδύσμασι non vtendum esse vt ἐδέσμασι, & ancillari debere has literas studiis magis seriis, nec iis anteferri: ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι τὰ πράγμαθ' οὕτως. Sed non continent se intra hunc limitem, & omni-

nō tractatas eas nolunt : prouerbium faciundō: Dum hæc πάρεργα tractentur, ἔργα negligi. Siccine aitis vero? Non certè, vt ijs, qui ex Clitorio fonte bibunt, vini obrepere tædium fertur, sic qui ex hac siue Aganippe siue Hippocrene gustârunt, ad seueriores Musas nauseant. Et quot nominare possem Theologos, Consultos, Medicos, Philosophos, nostri etiam æui, qui non dico non insuper habuêre has Gratias, sed auidè eas fuêre amplexi? Ne dicam de haut paucorum ἔργοις, de quibus ferre possim vt vel Stajus mihi sedeat iudex, & pronuntiet; si rectiùs in illis negotium sibi quis quærat, quàm in his παρέργοις otium. Quòd si tamen bis harum literarum osoribus antecapta opinio eripi nequit: Exsunto agè hinc, & ne se huc irruant: ne dici sibi audiant, quod Martialis Catoni Floralia spectaturo impegit: Nunquid huc intrastis vt exeatis. *Atque ijdem patiantur hoc vnum, verbis non multis me petere, vt ne, si ipsorum palatum ad suauitatem huius temeri obbruuit, in alios tamquam pretio conducti debacchentur, qui hoc siue Falerno siue Massico delectantur: Flacci versu hoc*

ipsis

ipsis promitto:

Dixerit insanum qui me, totidem audiet:

Nec ringor, Misocritici, vtut teruncij hæc non faciatis: dum mihi liberum sit nonnulla,

Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo,

ne pili facere vicissim.

At verò, ne hoc silentio transmittam, quæ hîc tibi exhibeo, Lector, illa nóris alterius industriæ me nec in minimo debere. Nec igitur, si illorum vnum alterumuè ante me monitum fuit ab alijs (quod ego me nescire Fidem testor!) metuo, ne quis de ijs tamquam περὶ τῶν ἱερῶν *sit pugnaturus, & plagia, furta, aliaque capitalia impacturus flagitia. Quin potiùs illa mea ne sint, & sibi rescripta habeat, quisquis prior illa obseruauit, seriò volo. Nec enim me fugit, quod noster ait Bartolus:* Doctor dicta alterius sibi adscribens, nec mentionem eius faciens, fur est. *[in l. non solùm. §. morte. ff. de op. nou. nunc.] Et eâ non horum laboro inopiâ, vt aliena inuolare cogar: quippe cui longè plura adhuc premuntur, quàm nunc pro-*

muntur. Daturuſque ſum, ſi hæc benè excipientur, propediem σὺν θεῷ totos quinque miſcellaneorum libros: ex quibus haſce pagellas hinc inde excerpſi.

Id minùs verendum mihi puto, ne, ſi alicubi lapſus fuero, acriùs in me ſæuituri ſint quidam Ariſtarchi: cum ab hac pice vngues ſemper tenuerim, nec quemquam ſugillarim. Moneri candidè, caſtigari, ex errore in viam reduci, malè dicta obelo configi, ægrè nullus fero: Imò in ære eius futurum me profiteor, quiſquis candidè hæc fecerit: ἀγαθὴ γὰρ παραίφασις ἑταίρου. Grauius quid fieri deprecor. Sapientiæ non minimus doctor ait: Nullum ſine veniâ placuit ingenium. Da mihi quemcunque vis magni nominis virum, dicam quid illi ætas ſua ignouerit. *Et in ore vulgi eſt:* Errare humanum. *Rectè igitur quæras cum Poëtâ, τί δ' αἰσχρὸν ἀνθρώποισι τ' ἀλλήλων κακά? Nec mirum cui videatur, non amuſſitatè omnia eſſe polita, & κατὰ μοῖραν diſpoſita: quippe à me pleraque ſcripta iam ante 4. & 5. annos in iactatione, & vbi bibliothecâ deſtitutus, vix duos treſuè ad manum habui libros: quo-*

rum

rũ hæc ſunt παραπλάσματα. Sed benè eſt: ſupercilium mihi ſalit. Nec ſit mihi dubiũ me à cordatis viris hoc impetrare. Vanos autem quid morer? Qualis Nugator quidam (*penè totus calamo excidiſſet Lucili verſus*) *ſuperiori extitit anno: qui ne nutu quidem à me læſus vnquam, in nomen meum palam edito luſit carmine. Cui, etſi fuêre qui infra dignitatem iracundiæ meæ poſitum ingeminabant, & me ab omni acrimoniâ alieniſſimum ipſa alioqui fecit Natura:* Summatim tamen experiar reſcribere paucis.

Idque iis de cauſis, quas domi noui. Sed heus vaniſſime! (quid vetat enim te hîc alloqui?) ain tu, in me illa non ficta? Non efficies ſanè, vt qui te, me, & alia nouit, id tibi etiam deierãti ſit crediturus. Et ſcias nondum bene tibi in alios ſcripturo didicitum eſſe Heracliti illud σκότινον. Rectà in me id telum iacis: ὡς τέκτονος παρὰ

Στάθμην ἴοντος ὀρθοῦται κανών.

At vbi nomen tuum, inquis? Diſcas ex Paullo noſtro, (qui ita Pedium dixiſſe ait) Nihil referre, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibuſdam demonſtretur:

Statius 5.Theb.288.

Dî pelagi, ventisque, & Cycladas AEgaeoni
Amplexo commendo patrem.

Idem 10.Theb.v.12.

Ceu mare per tumidũ viduæ moderantibus alni,
Quas Deus & ventus tempestatesque gubernãt.

DEOS & VENTOS iungit etiam Virg.7. Æneid.

Parte aliâ ventis & Dîs Agrippa secundis
Arduus, agmen agens.

Eod.libr.

Dî maris annuerant, habili Saturnia curru
Ingreditur.

Coniectabam: *agili Saturnia curru Ingreditur.* Ita 2.Pont.Eleg. 10.

Essedá nos agili sæpe tulere rotâ.

Lib. 3. de Tiresiâ:

Ille mouens albentia tempora canis.

Præfero ex Ms. *albentia timpora vittis.* Candidæ enim vittæ insigne erant augurum, vatum, sacerdotum, etiam regum. Stat.1.Achill.v.11.

Nec mea nunc vittis albescunt timpora primis.

Val.Flacc.5.Arg.

- pars auguris albâ
Fronde caput, vittisque ligant.

Silius lib.16.v.241.

- cinguntur timpora vittâ
Albente.

Libr.11.Metam. -

Dum

Dum superest aliquid, cuncti coëamus ad arma,
Arma capessamus, coniunctaque tela feramus.

Probum omninò, quod inuentum in mſ. Berſmani: *& arma Arma capeſſamus.* Ita lib. 12.

Certatimq; vno ore omnes arma arma loquūtur.

Statius 3. Theb. 348. *Arma arma viri.* Vti & Virg. 2. Aeneid. *Arma viri ferte arma viri.* Sil. lib. 4. v. 98. *Arma viri rapite arma viri.* Idem libr. 11. v. 132.

- furiata iuuentus
Arma arma Hannibalemque volunt.

Stat. 7. Theb.

Arma arma insani sua quisque ignotaque nullo
More rapit.

Horat. 1. Carm. Od. 35.

- neu populus frequens
Ad arma ceſſantes ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

Tale ferè eſt illud Virg. 6. Aen.

- bella horrida bella
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.

Lib. 4. de Pont. Eleg. 2. ſic editur:

Quis mel Ariſtaeo, quis Baccho vina Falerna
Triptolemo fruges, poma det Alcino?

Longè elegantiùs literâ mutatâ mſ. *quis Baccho vina Falerno.* Epitheto certè nullo vinū hîc opus habet. At notum eſt agrum Falernum vini prouentu & bonitate eſſe nobilem; de

quo

quo vide elegãter Sil.lib.7.vt noctuas Athenas missurus sit, qui vinum in illũ ferre velit. Lib.1.Trist.El.1.vers.vlt.

Longa via est, propera, nobis habitabitur orbis
Vltimus à terrâ terra remota meâ

Argutius est, quod liber scriptus exhibet: *à terrâ terra remota mea est.* Vt *suam terram* non patriam vel Romam vocet, sed illam, in quam relegatus fuit. Sicuti infrà, lib.4.Eleg. 4.

Atque meam terram prope sunt funebria sacra,
Si modò Nasoni barbara terra sua est.

Dicit igitur regionem illam adeò esse barbaram, & horridã, vt sibi videatur extra orbem terrarũ constitutus, dum in illa vitam trahit. Eod.lib.Eleg.8.

Detur inoffensæ vita tibi tangere metam.

Non solicitarem hunc versum, nisi iuberent mẽbranæ veteres, in quibus: *Detur inoffensam v.t.t.metã* quæ lectio sincera præ altera. Inoffensa hîc est, quod in 1.Car.Horat. *euitata*. Scis ex Lambino ad istam Oden, in curriculo quadrigarum offensâ metâ periculum & equis & rotis & vectori inminuisse. Dabãt igitur operã, vt metã viderentur quidẽ tangere, nõ tamẽ reuera tangerent: quod pulcrè effert Ouid.

Inoffen

Inoffensam metam tangere.

Eleg. 10.

Et patitur fluctus, fertque assiliëtia longè
Aequora, nec fæuis victa madescit aquis.

Ms. *nec sæuis iſta fatiſcit aquis.* Quod quis dubitet recipere? Valer. Flacc. in Argon. *(ctu est.*

Iſta fatiſcit aquis donec domus, haustaque fluVirgil.

laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscũt.

Libr. 2. Triſt. verſ. 57.

Per patriam, quæ te tuta & secura parens est,
Cuius & in populo pars ego nuper eram.

Literam muto & ſcribo:

Cuius, vt in populo, pars ego nuper eram.

Patriæ nimirum. Sic loquitur 1. de Pont. El. 8.

In quibus, vt populo, pars ego parua fui.

Et 1. Triſt. El. 1.

Si quis, vt in populo nostri non immemor illo,
Si quis, qui, quid agam, fortè requiret, erit.

Vbi malim: *nostri non immemor illic.*

Lib. 4. de Pont. El 5.

Si quis, vt in populo, qui sitis, & vnde, requirit.

Statius ita 5. Theb. v. 148. *Studia in cõtraria rapti Diſſenſus vt plebe ſolet,* &c. Tacit. 1. hiſt. 55. *Quibuſdam, vt in tumultu, notabiliùs turbantibus.* & 4. hiſt. 33.

Id

Id ſolum, vt in tumultu, monuit, &c. Rectè igitur feceris, ſi veteris libri, quem Rhenanus habuit, ſcripturam contextu donaueris, de Morib. Germ. cap. 2. *Quidam, vt in licentiâ vetuſtatis, plures Deos ortos &c. adfirmant.* Malè hactenus fuit: *Quidã autem lic.* Idem 2. hiſt. 34. *Crebris, vt in ciuili bello, transfugijs.* & 1. hiſt. 36. *tamquã in populo ac plebe.* libro 3. Eleg. 3. ad coniugem ita ſcribit Naſo:

Omnia cum ſubeant, vincis tamen omnia coniux,
Et plus in noſtro pectore parte tenes.

Vti quidem edi curauit Berſmanus ex ſuo Ms. cum antè fuerit: *Et plus in noſtro pectore parte tenes.* Verùm nolim iſtis membranis fidem habere tãtam, vt propterea dictionem elegantiſſimã exterminem, & quâ vix quidquã in totâ Elegiâ magis videri poſſit Ovidianũ. Sic infrà 5. Triſt. El. 11.

Quippe ſimul nobis habitat diſcrimine nullo
barbarus, & tecti plus quoquè parte tenet.

Sic etiã Lucretius fuit locutus, lib. 3.

Plus vt parte foras erumpant, exſiliantque.

At, ſatis tandem eſt horum, ſi bona ſunt; ſin mala, nimium.

LECTO

LECTORI BENIVOLO.



ANDEM & te in extremo libelli affabor, si quis mihi futurus es, Candide & beniuole Lector, quem in vestibulo compellatum oportuit. Promsi ecce! partem aliquam juuenilium meorum Criticorum, in vicem promulsidos. Quò; sat scio, vsu tibi veniet, quod in aliâ re Tullio olim. Is solitus est mirari impudentiam eorũ, qui agebant in scenâ, spectante Roscio. *Ita tibi, inquam, mirum fiet, me hominem infrà mediocritatem doctum, quasi in scenam propellere tamen CRITICA, in tot acerrimi judicij solidæque eruditionis virorum oculis & conspectu. Nihil diffitebor. Vix video, qui temeritatis notâ me liberem: nec ferè suppetit clypeus, quem isti ictui obtendam. Vtque dixero stultum esse,*

cum tot vbique
Scribentes videas, periture parcere chartæ:

Auditurus sum, quod Seneca notat, ire me non quà eundum, sed quà itur. *Se-*

det igitur, ingenuè aliquid hîc culpæ adgnoscere, idque deprecari magis, quàm amouere. Et, scio, ab illis, quos loquor, sermonibus veniam facilè impetrauero: si professus fuero, me nullam harum editione chartarum venari ingenij laudem, sed diligentiam solùm aliquam meam (præfiscine) testari voluisse. Idque obscurum esse nequit illi, qui viderit pleraque omnia illarum esse à libris veteribus: admodum pauca ab ingenio. Quam alteram viam, in hoc studiorum campo, vt maximè ad gloriam & ingenij laudem ferat quandoquè sciastamen & doctioribus lubricissimam esse, fieriqne; si illi insistatur haut raro, vt lutum, quod ajunt, luto eluamus, nonnunquam intaminata maculemus. Vtque dem hujusmodi ariolationes in magnam quandoque surgere speciem, quis tamen non similes illas dixerit τῶν ἄνευ κάλλους ὡραίων. Sed & hoc spem veniæ mihi fecerit, quod non vltrò in publico me sisto, sed lacessitus ab vno alteroque viro, in his literis è primis, qui aliquot nunc est annos, cùm quædam horum lecta non indigna luce censuêre: epigrammatis etiam quidam, ne premerem, hortati fuê

ti fuere. Quo fit etiam vt non pessima aut ineptissima ea putem omnia: quod abundè voto meo suffecerit. Nec enim id amplius se porrigit, quàm vt doctus aliquis Philonis de ijs pronunciet verba: Non optuma ea esse, verùm meliora quàm deterrima.

Sed ad alium quoquè metuendum est mihi ne offendam scopulū: iactatas nempe non ab indoctis solùm, sed magnis quoquè viris voces: Meras in his studijs esse nugas: puram putam stultitiam: Summam Reip. in his siue argutijs, siue ineptijs non verti: quomodo hic aliusue locus legendus sit aut explicandus, se manum nō versuros: his occupatos esse ὀνοματοθήρας rerum inanes: tempus in his miserè perdi, grauiora & vtiliora negligi. Hi si notarēt illos, quorum animos hæc Topamta sola occupat, vt ad hunc veluti Sirenum scopulum adpulsi consenescant, ferrem aliquantum: qui & ipsus ita censeo, hisce ἡδύσμασι non vtendum esse vt ἐδέσμασι, & ancillari debere has literas studijs magis serijs, nec ijs anteferri: ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι τὰ πράγματ' οὕτως. Sed non continent se intra hunc limitem, & omni-

nō tractatas eas nolunt: prouerbium faciundò: Dum hæc πάρεργα tractentur, ἔργα negligi. Siccine aitis vero? Non certè, vt ijs, qui ex Clitorio fonte bibunt, vini obrepere tædium fertur, sic qui ex hac siue Aganippe siue Hippocrene gustârunt, ad seueriores Musas nauseant. Et quot nominare possem Theologos, Consultos, Medicos, Philosophos, nostri etiam æui, qui non dico non insuper habuêre has Gratias, sed auidè eas fuêre amplexi? Ne dicam de haut paucorum ἔργοις, de quibus ferre possim vt vel Stajus mihi sedeat iudex, & pronunciet, si rectiùs in illis negotium sibi quis quærat, quàm in his παρέργοις otium. Quòd si tamen his harum literarum osoribus antecapta opinio eripi nequit: Exsunto agè hinc, & ne se huc irruant: ne dici sibi audiant, quod Martialis Catoni Floralia spectaturo impegit: Nunquid huc intraſtis vt exeatis. *Atque ijdem patiantur hoc vnum verbis non multis me petere, vt ne, si ipsorum palatum ad suauitatem huius temeti obbrutuit, in alios tamquam pretio conducti debacchentur, qui hoc siue Falerno siue Massico delectantur: Flacci versu hoc*

ipsis

ipsis promitto:

Dixerit insanum qui me, totidem audiet:

Nec ringor, Misocritici, vtut teruncij hac non faciatis: dum mihi liberum sit nonnulla,

Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo,

ne pili facere vicissim.

At verò, ne hoc silentio transmittam, quæ hîc tibi exhibeo, Lector, illa nôris alterius industriæ me nec in minimo debere. Nec igitur, si illorum vnum alterumuè ante me monuum fuit ab alijs (quod ego me nescire Fidem testor!) metuo, ne quis de ijs tamquam περὶ τῶν ἱερῶν sit pugnaturus, & plagia, furta, aliaque capitalia impacturus flagitia. Quin potiùs illa mea ne sint, & sibi rescripta habeat, quisquis prior illa obseruauit, seriò volo. Nec enim me fugit, quod noster ait Bartolus: Doctor dicta alterius sibi adscribens, nec mentionem eius faciens, fur est. *[in l. non solùm. §. morte. ff. de op. nou. nunc.] Et eâ non horum laboro inopiâ, vt aliena inuolare cogar: quippe cui, longè plura adhuc premuntur, quàm nunc pro-*

mumur. Daturuſque ſum, ſi hæc benè excipientur, propediem σὺν θεῷ totos quinque miſcellaneorum libros: ex quibus haſce pagellas hinc inde excerpſi.

Id minùs verendum mihi puto, ne, ſi alicubi lapſus fuero, acriùs in me ſæuituri ſint quidam Ariſtarchi: cum ab hac pice vngues ſemper tenuerim, nec quemquam ſugillarim. Moneri candidè, caſtigari, ex errore in viam reduci, malè dicta obelo configi, ægrè nullus fero: Imò in ære eius futurum me profiteor, quiſquis candidè hæc fecerit: ἀγαθὴ γὰρ παραίφασις ἑταίρου. Grauius quid fieri deprecor. Sapientiæ non minimus doctor ait: Nullum ſine veniâ placuit ingenium. Da mihi quemcunque vis magni nominis virum, dicam quid illi ætas ſua ignouerit. *Et in ore vulgi eſt:* Errare humanum. *Rectè igitur quæras cum Poëtâ, τί δ' αἰσχρὸν ἀνθρώποισι τ' ἀλλήλων κακά? Nec mirum cui videatur, non amuſſitatè omnia eſſe polita, & κατὰ μοῖραν diſpoſita: quippe à me pleraque ſcripta iam ante 4. & 5. annos in iactatione, & vbi bibliothecâ deſtitutus, vix duos treſuè ad manum habui libros: quo-*

rum

rũ hæc ſunt παραπλάσματα. Sed benè eſt: ſupercilium mihi ſalit. Nec ſit mihi dubiũ me à cordatis viris hoc impetrare. Vanos autem quid morer? Qualis Nugator quidam (*penè totus calamo excidiſſet Lucil I verſus*) *ſuperiori extitit anno: qui ne nutu quidem à me læſus vnquam, in nomen meum palam edito luſit carmine. Cui, etſi fuêre qui infra dignitatem iracundiæ meæ poſitum ingeminabant, & me ab omni acrimoniâ alieniſſimum ipſa alioqui fecit Natura:* Summatim tamen experiar reſcribere paucis.

Idque iis de cauſis, quas domi noui. Sed heus vaniſſime! (quid vetat enim te hic alloqui?) ain tu, in me illa non ficta? Non efficies ſanè, vt qui te, me, & alia nouit, id tibi etiam deierãti ſit crediturus. Et ſcias nondum bene tibi in alios ſcripturo didicitum eſſe Heracliti illud σκότιζον. Rectà in me id telum iacis: ὡς τέκτονος παρὰ Στάθμην ἴοντος ὀρθοῦται κανών.

At vbi nomen tuum, inquis? Diſcas ex Paullo noſtro, (qui ita Pedium dixiſſe ait) Nihil referre, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibusdam demonſtretur:

 qua

quatenus mutuâ vice fungantur, quæ tantundem præstant. *At tu & digito me ostendis, & tantùm non ipso vocabulo appellas, quùm in hominem tibi figuror* ὑποκοελιστικώτερον. *Nec fuit alius (quamquam tuis versibus inductus sexcentos fuisse quis credere possit) præter me, quà rem, quam notas, in ore vulgi: i. vanorum hominum, & de alijs quàm se sollicitorum. Et illi ipsi, quibus cum tu quotidie versaris, & qui te mihi excusare (quod illos rogâras) voluêre, cùm indices illos facerem, & quærerem. Egone à te proscinderer: silentio annuerunt. Non certè sic tute tibi tam festiuus & vrbanus in tuis istis versibus videris, vt te putes clanculum me pupugisse; vti ne biscere aduersus illos iure ego possim; & alij sic censent. Cestreus in metu scribitur occultare caput, atque ita arbitrari totum se tectum & tutum. Idem narrant in more esse struthiocamelo: & pueri simile quid comittunt. Nempe quod hi, idem & tu nunc facis. Cùm ipse te (te cùm dico, inurbanitatem tuam noto) non vides, talpas, vane, opinaris & alios?* Est hæc (*Latinè tibi loquatur Polybius*) dementia cum

malitia

malitia iuncta, quando quis, vbi oculos suos clausit, à nemine se videri putat. *Teneo hîc te, neque missus fieri vllâ tergiuersatione potes. Quid vero? Mihi in mentem venisse id, in quod ludis, sed diffisum restitisse? Nihilo magis certè, quã tibi rectum tueri. Imò, dico tibi, vix & anxiè me, ad aliquantum adhuc temporis, meis eripui: & iam diu est cùm in Gallias cogitaui: issem etiam, nisi varijs aduersitatibus iactatus, & pòst diutino morbo impeditus nequissem. Quare ex illo, si nondum resciisti verum, qui cum cotidie es, & cui ego tuque debemus, & longè aliud erudieris, verumque me, te vanum cognosces. Quid igitur curiose?*

Tune iugo iungas me antè, & succedere aratro
Inuitum, & glebas subigas proscindere ferro?

Ad celsitatem tuam nil regero, & musso, ne aliouorsum, & in alios id me voluisse calumnieris. Nec credo tamen esse Phrygiam τετράπηχυν, *aut me Conopam. Nec etiam improbo, quod alios in cœlum versibus tuis leuas. Id vero miror, quî me illis committendo id facere tibi sit visum. Memineris,*

mineris, vt minimus & infimus ego sim, non eo alium majorem, quàm est, futurum: nec me, vt maximus sit alius, eo, quā sum antè, minorem. Nullius inuideo felicitati, eugeniæ, diuitijs. Esto. Formosus, diues, liber, rex solu' vocetur: *Sit Plautinus Regum Rex, Regalior. Dum tamen relinquatur & mihi esse ingenuo, & quem Deus voluit.* Infirma, *ait Tertull.* commendatio est, quæ de alterius destructione fulcitur. *Et si sapisses, satis tibi fuisset quemque* secūdùm facta & virtutes suas *collaudare, nec pungere alios. Audisses tunc erumpentem Timoclem:*

ἐπαινέτης θαυμαστὸς οἷος τῶν φίλων·

Nunc vis vno verbo, quid faciat tota charta tua, dare pondus idonea fumo? χαριτογλώσσῳ. *Quid verò impulit te, vt illa scriberes? Quâ in re te læsi vnquam?* Eóne es ferox, *inquit ille*, quia imperium habes in beluas? (*Beluæ enim & nos, antequam virtutis & literarum initiati sacris, induamus hominem.*) *Sed Pistoclerus antiquus nouo Pseudolo nunc pro me loquatur:*

Iā cessit mihi ætas ex magisterio tuo.

Meliùs, opinor, & rectiùs fecisses, si id

tem

temporis, quo ego pro delectamento tibi fui, cirratis tuis aliquid de Samiâ matre disseruisses: memor officij tui, quem te Deus esse Iussit, & humanâ quâ parte locatus es in re. *Nec tibi in tuo, vt nec vlli alij in suo, quod agas, deest: vt mirer adhuc lasciuire tibi libuisse. Caue, caue homo, ne hic, quo inflaris, ventus pulmonem tibi rumpat: inque futurum ab hujusmodi tempera, atque os tuum slaude, nec exspecta, donec, vt ille apud Athenaeum ait, aut panem aut ossa quis ei impingat. Ludibrio, si nescis, impune me nunquam habebis, nec ego illud tibi debeo. Tantum est.*

A rutâ nunc ad pulegium. Ingenui hominis esse didici, laudare per quos profeceris. Nec igitur silentio inuolui debent nomina illorum, qui ad hac & alia mea aliquid contulêre. Sciri igtur velim, libros Thuringicos omnes, quos laudo, esse bibliothecae, quae asseruatur in collegio Ampoloniano (vulgò Porta caeli) Erfurti. Quorum vsuram impetraui ab ejus collegij Decano M. Hermano Lindano, V. CL. amico aestimando. Excepto, quòd Ciceronianus codex, olim à Suffrido Petri,

(*quem Lipsius notat in Sat. Menipp.*) *& pòst à M. Dressero collatus, totiesque laudatus I. Gulielmio, ibidem est libraria collegij majoris. Quem, etsi olim per alios non licebat, ejusdam tamen Lindani* (*cum Decanatus Philosophici fungeretur officio & dignitate*) *humanitate citra negotium obtinui. Noricus liber Stat I est portio bibliothecæ Pirkhemeriæ, in quam aditum mihi faciebat, & inde commodatò illum mihi impetrabat V. Ampl. id temporis hospes meus bene meritus, C. RITTERSHVSIVS, IC. & Antecessor. Alios qui ad hæc studia mihi contulêre laudaturus sum cùm ipsorum vtar subsidijs. Nunc satis diu moratur te, B. Lector, hoc meum* πολυλογεῖν. *B. V. & mihi faue.*

IVSTI ZINZERLINGI THVRINGI

DIATRIBÆ DVÆ:

in quarum

Priore, nobile quoddam problema Prosodiacum excutitur:

Posteriore, tria insignia translationis reciprocæ exempla exhibentur.

V.CL. & literatissimo
M. ANDREÆ VVILKIO
Gymnasiarchæ Gothano.

GEMINAM ecce obseruationculam, alteram Poëtices, Rhetorices alteram, & ornatæ Latinitatis candidatis non omninò contemtui habendam, & verò in primis priorem dignissimam, quæ contra receptum hodiernorum atque hesternorum Poëtarum morem sistatur, tuo nunc dico nomini. Sceletos fortè vtraque audiet, quippe quæ prima rei, quam notant, lineamẽta sine coloribus exhibeant. Atque ego ab hoc vocabulo eas non defendam: quin profiteor me huic solùm fini, maximè quà priorem, hæc comportâsse, vti moueam alios, quorum auctoritas in his literis maior quàm mea, vberiùs hæc enodãdi, & rem dubiam decretoriè finiendi. Cur ad te nunc eant, etiamsi tibi bene gnarum, quid tamen vetat, id, vt alii quoquè exaudiant, hìc apertè loqui? Tu adolescentiæ meæ formator obtigisti: & tuâ manuductione melioris vitæ iter cæpi inspicere. Nefas igitur sit, si qui alios publicè sum affatus, te cum meritis tuis indictum relinquam. Neque igitur tu (sat scio) iniquè feres, ieiunam hanc chartam tuum ostentare nomen: nec aliis id mirum debet videri: quippe quos scire volo, me nullum æquè, aque ingrati, vocabulum odisse: vsque eò. vt & ἀχαριστίας suspicionibus obstructum cupiam. B. V. Vir. Cl. & me ama, ac contrà obtrectantes, si fortè, defende. LVGDVNI, NON. APRIL. CIↃ IↃ C X.


I. Z.



IVSTI
ZINZERLINGI
THVRINGI

DIATRIBE PRIOR.

An finalis syllaba in breuem vocalem desinens, producenda sit propter ſc, ſp, ſt, *sequentes? Auctoritates & exempla in vtramque partem. Quaedam OuidI aliorumque loca persanata.*



AN vltima dictionis in vocalem naturâ breuem desinentis syllaba debeat vi positionis, si vocabulum sequens à duabus his consonis, *sc*, *sp*, *st*, incohetur, produci, controuersia est non

ignobilis. De illâ visum est in præsentiarum agere: Ita tamen, vt ansam magis dē aliis, quid sequi debeamus, decidendi, quam ipse id dissidium componam. Atque hanc equidem viam insistam, vt quid Grammatici, aliique viri docti, hac de re senserint, primò indicem: postea exempla ex veteribus Poëtis petita in vtramque partem subiungam.

Affirmatiuæ sententiæ caussam, vt Græcos taceam, defendunt principes Diomedes, Priscianus, & Terentianus Maurus: cuius posterioris versus ecce hìc:

Hæreat ergo animo sexta hæc tibi viuida, parq́;
Litera de numero (quam dixi) semisonantum;
Quæ sibi tres tantùm poterit subiungere mutas
(Si quando scutum spumas, *vel* stam na, *dico.)*
Hæc sola efficiet nudo vt remanente trochæo,
Spondæum geminæ possint firmare sonoræ:
Exemplis an praua sequar, vel recta probabo.
Quisque scire cupit, vel quisque scribere curat,
Ante stare decet, quùm dico, & separo versum,
Ante Stesichorum vatem natura creauit:
Vltima vocalis remanens, finisque trochæi,
Excipitur geminis queis proximus exoritur pes.
Quæ quamquam capite alterius verbi teneātur,
Sufficiunt retrò vires & tempus oportet:
Consona quod debet geminata referre priori.

Nam

Nam cur spondæo credas non reddere tempus,
Quæ tali positu, quùm dactylus incidit, obstat?
Incipe *si dicas*, & scire *qui* scribere *iungas*,
Creticus efficitur, quîs viribus ergo nocebit
Subdita præterita, cur îsdem viribus æquè
Tempora non præstet, cum sit subiecta priori?

Et quæ plura hac de re sequntur: Quibus nostro seculo calculum adiecit maximus Germaniæ nostræ vates, & Franciæ suæ gloria MELISSVS, qui in carminibus suis studiosè hoc semper seruauit, aliosque vti seruarent monuit. Paria cum hoc fecit Taubmanus, quem differentem vide præfatione suorum melodæsiorum. Neque abhorrent ab hac opinione Lipsius & Gruterus, duo eruditorum lumina. quorum illum vide in notis ad Senecæ Medeā, vers. 393. hūc in notis ad eamdē vers. 111. ad Theb. v. 448. & Herc. Oet. v. 1038. Vti & Giphanius in notis marginalibus ad Lucretium.

Abeūt verò ab his IVL. CAES. SCALIGER, in Poëticâ suâ, vbi Catullum, quòd Græcos hac in re imitari amauerit, reprehendit: Raderus in comm. ad Martialem, 5. Epig. 66. vanum vocans Terentianum, quod secùs senserit: Et

nouissimè, Henningus Rennemanus Ic.clariss. amicus noster singularis, in problematis prosodiacis. Atque hos videre contigit, huius dissidii meminentes. Iā spatiemur per amœna Poëtarum viridaria, & quod in hanc rem ibi est inuentu, enotemus. Præmoneo verò, me, quamquam hercíscundus mediam insistam sententiam, vt talismodi syllabam & produci & corripi posse autumē, modò parcè fiat, paullò tamē in affirmatiuā partē esse procliuiorem, cū deprehenderim haut paucis locis corruptis alterā fulciri, quibus nōnulla hoc capite fiet medicina.

Principem locum teneat princeps Latinorum Poëtarum, in quo vno tantùm, qui certus sit, loco vtraque sententia nititur. Prior illo, lib. 9.

Ferte citi ferrum date tela, scandite muros.

Quamquam auxiliatores non defuerunt, qui languere sibi visum pedem voluerunt vigori suo restituere: aliis & infarcientibus, *adscendite* scribentibus aliis. Cui addatur alter versus, vt est ex emendatione Scaligeri in Castigat. Catullianis: 6. Aeneid.

Venisti tandem, tuaque spectata parenti.

Vicit iter durum pietas.
aliique, in quibus cæſuræ hoc adſcribitur, non poſitioni.

Poſterioris ſententiæ fundus eſt in iſto loco 11. Æn.

Spem, ſi quā accitis Aetolûm habuiſtis in armis Ponite. Spes ſibi quiſque.

Videri poterat & iſte verſus pro correptione ſyllabæ ſtare, qui in quibuſdam editionibus vitioſe ita ſcribitur, 5. & 8. Æn.

Conuulſum remis roſtriſque ſtridentibus æquor.

Sed iamdudū exploſa eſt hæc lectio ab Erythræo, & *tridentibus* repoſitum, ipsâ in altero ſyllabæ initialis quantitate hoc poſtulante.

Succedat huic ingenioſiſſimus Naſo: in quo etiamſi nullū productę ſyllabæ noſtræ exēplum notârim: præter vnum quod ex mſ. erutum alibi indicaui in his libris, plura verò correptæ: Illa tamen, paucis exceptis, talia ſunt vt non valdè mouere poſſint dehinc alios, ſi has meas ad eâ notas inſpicere fuerint dignati. Lib. 7. Met.

Occidit ille Scinis, magnis malè viribus vſus.

Sed *Sinis* fieri debet, mſ. & Plutarcho poſcentibus. Idem 1. de Art.

Aut mare nauigijs, aut vomere scindite terram.

Sed ora editionis Bersmanianę refert, in quibusdam esse *findite*: quod in nostris etiam seruabatur membranis. Neque hæc variatio hoc solùm loco est. Est & in Epist. Medeæ:

Et solidam iusso vomere findis humum.

Vti & ibi in margine vides. In Trist. lib. 1. El. 3.

Et Scythicum profugâ scindere puppe fretum.

Membranæ: *findere puppe* Neque ideò quidquam huic rei disconducit iste versus, quod non antecedit syllaba breuis. Eò enim dico, vt constet de varietate harum vocum. Eadem ipsa quoque est in Sen. Herc. Fur. v. 335. vbi Delr. Lucret. Pag. 17. & Claud. 1. in Eutrop. vbi in mſ. *Elysias findis Serrane nouales.* Prudentius etiam maculatus tali maculâ, in cuius Psychomachiâ alicubi legitur: *quia scissa voluntas*: quo loco membranæ veteres eodem modo abibant, legendo *fissa.* Sed pergo in Nasone. 3. de art.

Oraque fontanà feruida spargit aquâ.

MS. cum illis facit, qui habent, *feruida pulsat aquâ.* quod quò altero remotius, eò certius est mihi, præ illo glossemate

te ſuo damnatum.
Eod.libr.
Nomine ſuſpectam mihi ſpiritus exit in auram.
Et hîc mſ.
Nomine ſuſpectas iam ſpiritus exit in auras.
Lib.2.de Pont.
Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas.
Sed hic verſus vnà cum proximè antecedente videtur mihi ſuppoſititius. Maximè,quia alii duo, in quorum ſedem hi forſitan ſuffecti, diu exſulatunt:quos emendatos reddidi in Promulſ.cap.44.quò viſe.
Eod.libr.Eleg.10.
& olentia ſtagna Palici.
Membranæ: *& olentis ſtagna Palici.*
Epiſt.Oenones:
Iſta Mycenæâ litera ſcripta manu.
Vterque mſ.*litera facta manu.*
Epiſt.Ariadnes:
Strataque Cretaam bellua ſtrauit humum.
Non abit hîc mſ.quem inſpexi.Vbertinus tamen notat quoſdam legere *tinxit.* Diuerſitas ſanè permagna inter hæc duo. An fors fuerat *lauit*, cuius expoſitiò ſit *tinxit*? Hæreo. Pugnat pro receptâ lectione exemplum Pedonis Albinouani, in obi-

tum Mecænatis:

Membra nec in ſtratâ ſternere diſcat humo.
quem certum eſt Naſonem expreſſiſſe in ſuis carminibus: vt euincũnt iſti verſus:

Cauſſarumque triplex vaticinatur opus.
Altius & vitiis exſeruiſſe caput.

Vti quidam etiam hoc argumento permoti Ouidio tribuerint eius Elegiam in obitum Druſi. Idem igitur potuit & hic eſſe factum.
5. Triſt. 13.

Carmina ſcripta mihi ſunt nulla.
Ita planè etiam membranæ. Sed ſuſpecta eſt mihi hęc vox, cum viderim illam alia etiam loca occupaſſe in membranaceis libris, germanis extruſis. qualia ſunt: 4. Triſt. El. 1. *Oppida ſcripta leget.* vbi rectè ex aliis editur: *capta leget.* 5. Triſt. 1. *læta & iuuenilia ſcripſi.* vbi: *luſi.* 1. de Pont. Eleg. 6. *Vt ſua ſcripta legas.* vbi: *verba.* Quod ſi hoc non accidit huic verſui, ſuſpicio tamen eſſe poteſt de tranſpoſitione: ex quâ ſimile quid natum nobis 3. Metam. vbi Cioſ. legit:

fuerim lentæ curuamine ſpinæ.
Cum rectè edatur: *lentæ ſpinæ curuamine*

mine fixum. quod in optimis membranis ita ad apicem expressum vidi. Tale est, quod in membranis inueni apud Claud. 2. in Ruffin.

Quisnam audet ferro leges imponere stricto.

Vbi rectè impressum: *leges vibrato imponere ferro.* Alia prætereo, quæ sana in vulgatis libris, in vnis alterisque membranis deprauata inueni.

De illo exemplo, quin genuinum OuidI sit, nullus dubito, in Art.

Altera Scylla maris monstrum.

An plura talium in eius scriptis inueniantur nescio. Certè in eius lectione (sed attendi ad hoc) non obseruaui. Ego scopum præfinitum mihi tetigisse iam videor, cui animus fuit fidem plerorumque exemplorum dubiam facere, quæ poterant in illam partem adduci ex Nasone.

Lucretius paullò amplius fauet isti parti. Hos enim in illo habes versus:

- quàm lecti mollia strata.
Quidque superbia spurcitia.
Libera sponte suâ.
Speluncasque velut saxis pendentibus structas.
- guttis manantibus stillent.
Tenuia sputa minuta, &c.
- alioque est altera nata Endo statu.

Memoriâ igitur lapſus fuit olim vir doctus, perpetuò hoc vitatum Caro adſerens.

Nec deſunt tamen apud eumdem, quæ in contrarium poſſis adducere. qualia ſunt hæc:

Exſpiretque foras in aperta, promtaque cœli.
- plurimaque plus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis.
Hinc illa primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta.
Ex hoc vſque mare ſpeluncæ, &c.
Nilus in æſtate creſcit.
Complere ſpatium.

quod tamen poſtremum eſt ex coniecturâ GiphanI: variantque in vno atque altero libri. Et hoc ſi, vt vides, admiſſum in mutâ cui liquida ſubiungitur, magis ædepol in geminatis mutis noſtris admittetur, quæ potentiores.

Catullus omnino ſtat ab illorum parte, qui producunt: quod hæc produnt exempla.

In phaſelo:

Propontida trucemue, &c.

Ibidem:

Et inde tot per impotentia freta.

In Priapeio ad Coloniam:

Si pote stolidum repentè excitare veternum.

In Mamur.

- quod comata Gallia
Habebat vnctum & vltima Britannia.

Ad fundum Tiburtem:

Nec deprecor jam si nefaria scripta
.. Sexti recepso.

In Galliambo:

Vt apud, miser)ferarum gelida stabula forem.

In nupt. Pelei:

Nulla fugæ ratio, nulla spes.

Estque vnicum, quod his opponi possit, in nuptiis Pelei: *Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri.* Sed quod ipse etiam Homerus insuper habuit, lib. 2 Iliad. v. 495.

. ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδρειον.

Et libr. eod. v. 467.

ἐν λειμῶνι Σκαμανδρείῳ.

Quùm tamen constet Græcos magnâ religione contrarium seruare. Adfinxit alterum Catullo, qui substituit in lacunâ carminis ad Cinnâ: *In pede stās fixo carmina ructat hians.* Sed ab illustri Castigatore, vt debuit, acceptum.

In HoratI Odis & Epistolis, pro neutrâ quidquam inuenias sententiâ. Quod datâ operâ factum, vix est vt

negari possit. In Satiris sex locis breui syllabæ cursum suum permisit, nõ inhibentibus consonis istis sequentibus. Opinari possis, vt frena sibi indulsit in alios inuehendi, ita etiam in versu quamdam sumsisse licentiam, quam alibi sibi non permittebat. Quin satirographi esse, vt quandoque in hæc & similia inpingat ex ipso Horatio & Chrysippo pulcrè docet Casaub.ad Pers.Sat.1.vers.111.
Iuuenalis contrà quater longam fecit hanc syllabam, breuem ne semel. Vti neque Tibullus, qui tamen & ipse scripsit: *Pro segete spicas, Pro grege ferre dapem.* Propertius quater corripuit, produxit nunquam.
StatI PapinI hęc sunt in hanc rẽ loca:

Tela noua, fragiles auo circumspice muros.
- agile studium & tenuissima virtus.

Pro aduersâ parte:

sparsosque studet componere crines.

Possis & istum versum adducere, 7. Theb.

fas & mihi spernere Phœbum.

Sed nôris mss.habere: *fas & me spernere Phoebum.*
In Silio hæc adnotaui exempla:

Lib.

Lib 3.v.111.

- gelidosne scandere tecum
Deficiam montes.

Lib.9.v.576. *Immane stridens agitur.*
Lib. vlt. vers. 551.*arua Diuersa spatio.*
Sed & hic vnum abit:libr. 14. v. 259.
Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongilos Austris.

In Valerio Flacco ne vestigium quidem horum videas. Idem de Claudiano dico: nisi illud adferas de bello Gildonico, v. 136.

- rescissa vestes & spicea sparsim
Serta iacent.

Attamen hoc tanti nondum fuit æstimatum, vt dignati fuerint contextu. In orâ enim hæret editionis Delrianæ. Sæpéque variatur in his dictionibus. Tale illud Senecæ in Theb.

Mea membra sparsim spargite.

Vbi & nostræ & Palat. membranæ *passim.* Quamquam falsitas huius lectionis, absque etiam libris esset, auribus se prodit. Apud eumdem huius generis aliquid repertu fuit olim, in Troad vers. 31.

Tuosque manes, quodque stetit antè Ilion.

Dactylum enim quarta gressio sper-

nit, necessarióque trybrachis faciundus, absque bellissima LipsI è vet.lib. emendatione esset: *quo stetit stante Iliõ.*

In Manilio hoc vnicum vidi correptæ exemplum:

Tertia forma stetit summo jam proxima cælo.

Productæ in Martiale duo. 2. Epi. 66.

Vt digna speculo fiat imago tuo.

5. Epigr. 71.

Quid gladium demens aliena stringis in ora?

Nullum correptæ.

Atque hactenus ex Poëtis illos lustrauimus, quos attẽdens ad hoc mihique talia enotans legi. Iam ex aliis pauca, quos adeò non nuper inspexi, neque oculis huius rei curiosis. Memini tamen quorumdam adhuc. In Terentio illud legimus Prolog. Hecyræ:

Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam.

Martian. Cap.

Crinale spicum pharetris deprome Cupido
Libens capillum soluere.

Prudentius sæpissimè productè extulit, sed dum hæc scribo, non est ad manus: Quamquam idẽ semel alicubi in Hamartigen. corripuit. Ex Lucano pro syllabæ productione, si re-

ctè

ctè memini, quædam adferri solent: quem denuò, vti & alios, huius caussa peragrare nec licet nunc, nec libet: qui vix tumultariè hęc temporis inopiâ concipio. Faciat hoc alius, & rudibus his lineamentis colores addat.

Ego, si mentem meam aperire mihi licet, cùm, quia Gręci, è quorum poësi plurima hausit Latina, syllabam, de quâ loquor, producere amant, veteresque Gramatici Latini, qui & propiùs abfuerunt à tempore florentis Poëticæ, & plures, indubiéque meliores Poëtarum libros habuerũt, idẽ præcipiunt: tum quia contrariæ opinionis haut pauca fulcra, opẽ veterũ librorũ, demolitus sum, illorumque exiguus apud paucos inuenitur numerus, apud quosdam vix vnum, & ne hoc quidem in Tibulli, Val. Flacci, Iuuenalis, Claudiani, Senecę Tragœdi, Horatiq; (præter satiras) versibus: vereor vt regula in hanc partem firma constitui possit, & exceptio pauciora, ex Catullo præcipuè, Iuuenale, Silio, Statio, aliisque habitura sit exẽpla. Neutrum igitur improbem, si

parcè fiat: vtrumque, si frequenter: quomodo hodie ferè peccatur corripiendo.

DIATRIBE POSTERIOR.

In quâ triplicis metaphoræ reciprocæ illustria exhibentur exempla: 1. Nauiû & auium: 2. Oculorum & siderum: 3. Pectinis & dentium. Dentes exprimendo sermoni conducere. Murus, septum, crates dentium. *Castigati obiter Val. Flaccus, & Diomedes.*



T i modestæ translationes insigne orationis sunt ornamentum: Ita ineptæ & longiùs petitæ eamdem nimium quantum deuenustât. Illæ cum duplici sint generis vt vel reciprocari nequeant, vt, cum *montis verticem* appellamus, nec tamen *culmen capitis*: vel id possint: Non abs re me facturû spero, si tria, quæ obseruaui, illustria reciprocæ translationis exempla exhibeam. Sic enim, opinor, fiet, vt ad similia

ſimilia plura aduertendi, ei, qui hæc ſtudia æſtimat, anſa præbeatur.

Primum eſto à nauigio ad aues & viciſſim. Hîc vide vt & quæ de illo dicuntur, pleraque omnia tribuantur his: & quæ de his, illi. Remis & remigio aues donat Ouid. 8. Metam.

Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis.

Idem 2. de Art.

Remigium volucrum diſponit in ordine pennas.

Velis, Claudianus 2. Eutrop.

Inque modum veli ſinuatis ordine pennis.

Vtriſque Lucretius lib. 6.

Remigiq́ oblitæ pennarum vela remittant.

Velificari, gubernacula, remigia, palmulas, anchorã, portum iiſdẽ adcommodat confertim omnia Apuleius 1. Florid. *Aquila enimverò cum ſe nubium tenus altiſſimè ſublimauit &c. velificatas alas, quò libuit caudæ gubernaculo inde cuncta deſpiciens ibidem pinnarum eminus indefeſſa remigia, ac paulliſper contabundo volatu penè eodem loco pendula circuntuetur.* 2. Florid. *Sed color pſittaco viridis & intimis plumulis, & extimis palmulis.* Ibid: *Cum in petram quamdam conditus altiſſimo volatu præcipitat, roſtro ſe velut anchorâ excipit.*

Alibi

Alibi: *Cæterùm cùm illis fessa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est.* Talė est etiam illud Boethl, 5. de conf. Phil. metro 6. vbi volucres natare facit:

Sunt quibus alarum leuitas vaga verberetque ventos,
Et liquido longi spatia aeris enatet volatu.

Contrà videas crebrò vsurpari translatè de nauibus illa, quæ propriè dicuntur de volucribus. Vt sunt: *alæ, volare,* & similia. Catùll. de Phaselo:

siue palmulis
Opus foret volare siue linteo.

Claud. de 6. Consul. HonorI, v. 137.

-viduataque cassis
Remigibus scissis velorum debilis alis.

Lucret. lib. 4.

Quos agimus præter nauim, ventisque volamus.

Valer. Flacc. 2. Argon.

Panditur hinc totis in noctem carbasus alis.

Cassiodor. 5. var. *Vela alas nauium facientia, linum volatile, quidam spiritus currentium carinarum, prænunctia mercium, auxilia quieta nautarum, quorum beneficio conficiunt otiosi, quod à celerrimis auibus vix probatur impleri.* Quo sensu Iasona Medeæ mater apud Valer. Flac. lib. 8. vocat *volucrem prædonem.*

nem. Idem eleganter Manil.5.Astron. de natante dicit:

- volitabit in vndis,
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plausâ resonabit aquâ

Similis translatio mutua est siderum & oculorum. Hanc vt diligentiùs paullò notarem, effecit versus iste Ouid. 1. Met.

Talia dicenti stellatus summouet Argus.

Quo vocabulo Statius quoque eum appellat, 6.Theb.v.277.

Spectat inoccidu is stellatum visibus Argum.

Quæ loca & similia, vt ne hoc prætercam, confirmant me in lectione quā in Aldino exemplari apud Val. Flac. 4. Argon. inueni, à Carrionis libro diuersam:

- custos, Argus placet, inscia somni
Lumina non aliter lucent cui vertice, quàm si
Lyda nurus sparso telas maculauerit ostro.

Lucere enim sidera dicuntur, vt non ineptè transferas ad oculos. Mancus præterea est sensus, si retineas: *non aliter toto cui vertice*, &c. Siderum igitur, vt dixi, vocabulo oculos notant. Exempla en cape ista: Propert.

Non oculi gemini, sidera nostra, faces.

Ouid.

Ouid. 1. El. 6.

- perque oculos sidera nostra tuos.

3. Eleg. 3.

radiant vt sidus ocelli.

Qui versus suggerit mihi emendationem istius, lib. 3. Metam.

Spectat humi positus geminũ, ceu lumina, sidus.

Malim: *geminum, ceu sidera, lumen.* Nisi melius, quod opinor, est, quod Bersmanus in ms. exstare ait: *geminum sua lumina sidus.* Alia huius translationis exempla non adfercio, cum satis sit celebris. Paullò infrequentior est altera, quâ sidera dicuntur oculi, & quæ horum sunt munia, tribuuntur illis. Qualia sunt, *videre, despicere, occæcari.* Seneca in Hippolyt. v. 783. de Lunâ:

Aut te stellifero despiciens polo
Sidus post veteres Arcadas editum,
Currus non potuit flectere candidos.
Et nuper rubuit, nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.

Iuuenal. Sat. 8.

Nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos.

Manil. 1 Astron.

Omnia quæ summo despectant sidera cælo.

Lucanus ad Pisonem:

Non

Non semper fluidis adopertus nubibus imber
Aurea terrificis occæcat sidera nimbis.

Quomodo Hesiodus Solem Iouis oculum, & Pisidas κοινὸν ὄμμα nominant. Videnda huc fabula de Sole & Leucothoë apud Ouid. 4. Metam. vbi inter alia & hæc videre est:

& virgine figis in vnâ,
Quos mundo debes, oculos.

Inferiùs:

Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus.

Homerus non videntem solùm, sed & audientem omnia facit: ἠέλιος ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει. Transcribam huc Platonis distichon de Stellâ puero, adductum à Mureto ad quemdam Catulli locum:

ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμὸς. εἴθε γενοίμην
οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Quod tale est ex versione Mureti:

Stella meus stellas dum suspicis, ipse vtinam sim
Cælum, oculis vt te pluribus inspiciam.

Tertium exemplum esto pectinis & dentium: quorum alterum de altero mutuò dicitur. Pectinem dentis vocabulo insigniri his vides locis. Tibull. 1. Eleg. 9. vers. 68.

Aut

Aut tenues denso pectere dente comas.

Ouid. 6. Metam.

Inseritur medium radiis subtegmen acutis
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.

Claud. de bell. Gildon. v. 137.

- lacero crinales vertice dentes
Et fractum pendebat ebur.

Idem de nupt. HonorI:

- morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat.

Idem 2. de laud. Stilic.

- & dente comas illustris eburno

Pectinem maxillam nominat eodem sensu Persius Sat. 4. vers. 36. vbi Casaub. Apuleius 2. Metam. *Capillum* dicit *pectinis arguti dente discriminatum.* Et elegans emendatio est LipsI in Arbitro, cum legit: *Descendentes ab aure capillos meos dentatâ manu duxit.* Vbi fuerat: *tentatâ.* Alio sensu Ouidius alicubi *digitos pectine nexos* vocat: Plinius, *pectinatim inter se amplexos.* Quod verbis Apuleianis reddas, *palmas in alternas digitorum vicissitudines connexas.* Dentibus contrà dat pectinis vocabulum Prudent. in Romano:

Nunc temperetur dentium de pectine.

Plin

Plin lib.XI.cap. 37. *Dentium tria sunt genera: serrati aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coëuntes, ne contrario occursu atterantur, vt serpentibus, piscibus, canibus, &c.* Solinus cap. 35. *Morsus crocodili horribili tenacitate conueniunt, stipante se dentium serie pectinatim.* Diomedes 1.Gramm. cap. 1. *Interiore vicino aëre pectinis-argutiâ verberato:* vti quidem pro *pectoris* scribi debet. *Argutus* enim pectinis est epitheton. Vide l.4.C.de vestib. holoser. & aur. lib. XI. & modò adductum locum ApuleI. Prætereà certum est dentes exprimendo sermoni facere. Lactant. de opif. Dei cap. 20. *Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit, & est interpres animi: nec tamẽ sola potest per se loquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adjuta vel offensione dentium, vel compressione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad loquendum: nam & infantes non antè incipiunt fari, quàm dentes habuerint, & senes amissis dentibus ita balbutiunt, vt ad infantiam reuoluti*

esse videantur. Plin. libr. 7. cap. 16. *Nec cibo tantùm & alimentis necessarij: quippe vocis sermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ, seriemque structura, atque magnitudine mutilantes mollientesue, aut hebetantes verba: & cùm defluxêre, explanationem omnem adimentes.* Hippocr. περὶ ἀρχῶν. Διαλέγεται δὲ διὰ τὸ πνεῦμα ἕλκον εἴσω πᾶν τὸ σῶμα, τὸ πλεῖστον δὲ ἐς τὰ κοῖλα αὐτὸς ἑαυτῷ. αὐτὸ δε θύραζε ὠθεόμενον διὰ τὸ κενὸν ψόφον ποιέει. ἡ κεφαλὴ γὰρ ἐπηχεῖ· ἡ δὲ γλῶσσα, ἀρθροῖ προσβάλλουσα, ἐν τῷ φάρυγγι ἀποφράσσουσα, καὶ προσβάλλουσα πρὸς τὴν ὑπερῴην καὶ πρὸς τοὺς ὀδόντας, ποιέει σαφηνίζειν. ἢν δὲ μὴ ἡ γλῶσσα ἀρθροῖ προσβάλλουσα ἑκάστοτε, οὐκ ἂν σαφέως διαλέγοιτο ἀλλ' ἢ ἕκαστα φύσει τὰ μονόφωνα. Obiter hoc, vicem mantissæ, noto. Apuleius, opinor, alicubi *murum candentium dentium* dixit. Ei non valdè discrepat Lact. de opif. Dei. cap. 10. *Hac itaque* (lingua) *palati concauo tamquam testudine tegitur, eam-*

que dentium septis Deus quasi muro circumuallauit. Crates dentium Sidonius fecit 2. Epi. 2. *Quæ temerè ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas ceruicum iubas imaginabantur.* Atque hæc se vt vara vibiam sunt sequuta. Nunc finio.

NOTA.

INCVRIA elapsa est cap. 18. quædam ad Ouidium nota: quam tamen inscriptio capitis promittit. Illam igitur hîc in calce libri reprehensam sistere visum fuit. Estque ea ad hunc versum, lib. 3. de art. am.

Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est.

Vbi Ms. spernit *cultus*, & *positus* agnoscit, Peruenustè. Ponere enim & componere capillos dicunt. Ouid. 1. Eleg. 7. *Ponere compositas in statione comas.* Neque aliter 2. Metam. Poëtam scripsisse arbitror, quàm & illic exprimunt membranæ. *Nec positu variare comas.* Quod & ipsum aliquan-

diu exulauit.


Sed & hoc addo. Orthographia, quâ vsi typothetæ, non est mea, sed ipsorum. Qeâ cum in plerisque officinis Lugdunenses vtantur, quid ego eos in his minutiis turbarem. Si cui quid displicet, ex suo sensu mutet; atque hæc simul operarum errata:

Pag. 4. lin. 7. distinguendum: *Nusquam. Sese aiunt*, &c.

Pag. 109. lin. 10. leg. consideres.

Pag. 112. leg. *linquite terras Spe pelagi.*

Pag. 143. Mentitur inscriptio capitis 47. Ciceronem & Eumenium correctum iactans, quod fit seq. cap. cum debeat Val. Flaccum.



SYLLABVS AVCTORVM hoc libello emendatorum, iuxta numerum capitum.

INDEX



INDEX RERVM ET VOCABVLORVM, SEcundùm numerum paginarum.

A

Alibi: *Cæterùm cùm illis fissa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est.* Tale est etiam illud BoethI, 5. de conſ. Phil. metro 6. vbi volucres natare facit:

Sunt quibus alarum leuitas vaga verberetque ventos,
Et liquido longi spatia æquoris enatet volatu.

Contrà videàs crebrò vſurpari translatè de nauibus illa, quæ propriè dicuntur de volucribus. Vt ſunt: *alæ, volare*, & ſimilia. Catull. de Phaſelo:

siue palmulis
Opus foret volare siue linteo.

Claud. de 6. Conſul. HonorI, v. 137.

-viduataque cassis
Remigibus scissis velorum debilis alis.

Lucret. lib. 4.

Quos agimus præter nauim, ventisque volamus.

Valer. Flacc. 2. Argon.

Panditur hinc totis in noctem carbasus alis.

Caſſiodor. 5. var. *Vela alas nauium facientia, linum volatile, quidam spiritus currentium carinarum, prænuntia mercium, auxilia quieta nautarum, quorum beneficio conficiunt otiosi, quod à celerrimis auibus vix probatur impleri.* Quo ſenſu Iaſona Medeæ mater apud Valer. Flac. lib. 8. vocat *volucrem prædonem.*

nem. Idem eleganter Manil.5.Aſtron. de natante dicit:

- volitabit in vndis,
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plausâ resonabit aquâ.

Similis translatio mutua eſt ſiderum & oculorum. Hanc vt diligentiùs paullò notarem, effecit verſus iſte Ouid. 1. Met.

Talia dicenti ſtellatus ſummouet Argus.

Quo vocabulo Statius quoque eum appellat, 6.Theb.v.277.

Spectat inocciduis ſtellatum viſibus Argum.

Quæ loca & ſimilia, vt ne hoc prætercam, confirmant me in lectione quã in Aldino exemplari apud Val. Flac. 4. Argon. inueni, à Carrionis libro diuerſam:

- cuſtos, Argus placet, inſcia ſomni
Lumina non aliter lucent cui vertice, quàm ſi
Lyda nurus ſparſo telas maculauerit oſtro.

Lucere enim ſidera dicuntur, vt non ineptè transferas ad oculos. Mancus præterea eſt ſenſus, ſi retineas: *non aliter toto cui vertice*, &c. Siderum igitur, vt dixi, vocabulo oculos notant. Exempla en cape iſta: Propert.

Non oculi geminà, ſidera noſtra, faces.

Ouid.

Ouid. 1. El. 6.

- perque oculos sidera nostra tuos.

3. Eleg. 3.

radiant vt sidus ocelli.

Qui versus suggerit mihi emendationem istius, lib. 3. Metam.

Spectat humi positus geminũ, ceu lumina, sidus.

Malim: *geminum, ceu sidera, lumen.* Nisi melius, quod opinor, est, quod Bersmanus in mſ. exstare ait: *geminum sua lumina sidus.* Alia huius translationis exempla non adfercio, cum satis sit celebris. Paullò infrequentior est altera, quâ sidera dicuntur oculi, & quæ horum sunt munia, tribuuntur illis. Qualia sunt, *videre, despicere, occacari.* Seneca in Hippolyt. v. 783. de Lunâ:

Aut te stellifero despiciens polo
Sidus post veteres Arcadas editum,
Currus non potuit flectere candidos.
Et nuper rubuit, nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.

Iuuenal. Sat. 8.

Nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos.

Manil. 1 Astron.

Omnia quæ summo despectant sidera cælo.

Lucanus ad Pisonem:

Non

Non semper fluidis adopertus nubibus imber
Aurea terrificis occacat sidera nimbis.

Quomodo Hesiodus Solem Iouis oculum, & Pisidas κοινὸν ὄμμα nominant. Videnda huc fabula de Solè & Leucothoë apud Ouid. 4. Metam. vbi inter alia & hæc videre est:

- & virgine figis in vnâ,
Quos mundo debes, oculos.

Inferiùs:

Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus.

Homerus non videntem solùm, sed & audientem omnia facit: ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Transcribam huc Platonis distichon de Stellâ puero, adductum à Mureto ad quemdam Catulli locum:

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμὸς. εἴθε γενοίμην
οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Quod tale est ex versione Mureti:

Stella meus stellas dum suspicis, ipse vtinam sim
Cælum, oculis vt te pluribus inspiciam.

Tertium exemplum esto pectinis & dentium: quorum alterum de altero mutuò dicitur. Pectinem dentis vocabulo insigniri his vides locis. Tibull. 1. Eleg. 9. vers. 68.

Plin lib.XI.cap. 37. *Dentium tria sunt genera: serrati aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coëuntes, ne contrario occursu atterantur, vt serpentibus, piscibus, canibus, &c.* Solinus cap. 35. *Morsus crocodili horribili tenacitate conueniunt, stipante se dentium serie pectinatim.* Diomedes 1. Gramm. cap. 1. *Interiore vicino aëre pectinis-argutiâ verberato:* vti quidem pro *pectoris* scribi debet. *Argutus* enim pectinis est epitheton. Vide l. 4. C. de vestib. holoser. & aur. lib. XI. & modò adductum locum Apulel. Præterea certum est dentes exprimendo sermoni facere. Lactant. de opif. Dei cap. 20. *Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit, & est interpres animi: nec tamē sola potest per se loquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adjuta vel offensione dentium, vel compressione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad loquendum: nam & infantes non antè incipiunt fari, quàm dentes habuerint, & senes amissis dentibus ita balbutiunt, vt ad infantiam reuoluti*

esse videantur. Plin. libr. 7. cap. 16. *Nec cibo tantùm & alimentis necessarij: quippe vocis sermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ, seriemque structura, atque magnitudine mutilantes mollientesue, aut hebetantes verba: & cùm defluxêre, explanationem omnem adimentes. Hippocr.* περὶ ἀρχῶν. Διαλέγεται δὲ διὰ τὸ πνεῦμα ἕλκον εἴσω πᾶν τὸ σῶμα, τὸ πλεῖστον δὲ ἐς τὰ κοῖλα αὐτὸς ἑαυτῷ. αὐτὸ δὲ θύραζε ὠθεόμενον διὰ τὸ κενὸν ψόφον ποιέει. ἡ κεφαλὴ γὰρ ἐπηχεῖ· ἡ δὲ γλῶσσα, ἀρθροῖ προσβάλλουσα, ἐν τῷ φάρυγγι ἀποφράσσουσα, καὶ προσβάλλουσα πρὸς τὴν ὑπερώην καὶ πρὸς τοὺς ὀδόντας, ποιέει σαφηνίζειν. ἢν δὲ μὴ ἡ γλῶσση ἀρθροῖ προσβάλλουσα ἑκάστοτε, οὐν ἂν σαφέως διαλέγοιτο ἀλλ' ἢ ἕκαστα φύσει τὰ μονόφωνα. Obiter hoc, vicem mantissæ, noto. Apuleius, opinor, alicubi *murum candentium dentium* dixit. Ei non valdè discrepat Lact. de opif. Dei. cap. 10. *Hac itaque* (lingua) *palati concauo tamquam testudine regitur, eam-*


que dentium septis Deus quasi muro circumuallauit. Crates dentium Sidonius fecit 2. Epi. 2. *Qua temerè ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas ceruicum iubas imaginabantur.* Atque hæc se vt vara vibiam sunt sequuta. Nunc finio.

NOTA.

INCVRIA elapsa est cap. 18. quædam ad Ouidium nota: quam tamen inscriptio capitis promittit. Illam igitur hîc in calce libri reprehensam sistere visum fuit. Estque ea ad hunc versum, lib. 3. de art. am.

Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est.

Vbi Ms. spernit *cultus*, & *positus* agnoscit, Peruenustè. Ponere enim & componere capillos dicunt. Ouid. 1. Eleg. 7. *Ponere compositas in statione comas.* Neque aliter 2. Metam. Poëtam scripsisse arbitror, quàm & illic exprimunt membranæ. *Nec positu variare comas.* Quod & ipsum aliquan-



SYLLABVS AVCTORVM hoc libello emendatorum, iuxta numerum capitum.

M

N

O

P

S

T

V

INDEX



INDEX RERVM ET VOCABVLORVM, SEcundùm numerum paginarum.

Q.

Q.

Tene-

T

V

FINIS.



